


19

anta Cruz

1



R. 376

Coela librena de l.^m Ambrosio de la Comp^a
de Sr. Pedro P. San.º Pabago.

Sign. mot. 211

Sign. aut. 73

W. mot. 211

Encl. 22

Handwritten text at the top of the page, possibly a header or title, which is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text in the upper middle section of the page, appearing as a list or set of notes.

Main body of handwritten text, consisting of several paragraphs of notes or a letter, which is very faint and difficult to read.

Propositiones ad Apostolicam Sedem delatae.

Prima propositio.

Ultimum dictamen conscientia nunquam est erroneum, sed semper est verum, certum, et evidens. Pag. 1^a

Secunda Propositio.

Voluntas conformis dictamini Conscientia etiam vincibiliter errantis, conformatur cum aliqua Dei voluntate saltem per accidens obligante, aut consulente &c. Pag. 2^a

Tertia propositio.

Hoc ipso, quod vult actus voluntatis regulari ab actibus intellectus, necessario vult, ut voluntas fugiat, aut amplectatur id quod intellectus per conscientia dictamen, tanquam fugiendum, aut amplectendum proponit. Pag. 3^a

Quarta propositio.

Nullum est peccatum quod non sit contra conscientiam. Nemo actu peccat, nisi actu cognoscat et advertat se peccare. Pag. 5^a

Quinta propositio.

Haeretici viventes et morientes in sua Secta, quam veram putant, possunt Deo placere, et salvari, si in alijs contra propriam conscientiam non peccent. Pag. 11^a

Sexta propositio.

Idem haeretici in sua heresi permanentes, si forte in alijs rebus contra propriam conscientiam peccent cum aliunde supponantur credere in Christum, facile possunt actum verae contritionis habere, atque ita salvari. Pag. 14.

Septima propositio.

Lutherani et Calvinista de populo non sunt in foro interno excommunicati, sed solum in foro externo. Pag. 17.

Octava propositio.

Mendacia et periuria, quae per ignorantiam et errorem existimantur esse à Deo iussa, non solum omni peccato carent, sed positivè bona, et meritoria sunt apud Deum: et sic etiam qualibet haeresis, vel falsa Religio, quae et bona esse, ac Deo placere creditur, pariter est re ipsa Deo grata, Deumque ipsum Authorem habet. Pag. 21.

Nonna propositio.

Probabile quoad nos, id est, illud quod non vere absolute et in se probabile est, sed falso, et ex ignorantia existimatur esse probabile, cum tale non sit, sufficit etiam ad excusandum à culpa quemlibet actum Legi ac fidei divinae contrarium. Pag. 29.

Propositio decima.

Damnata ab Alexandro VIII. ista propositio: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam: consequenter damnata venit sententia asserens, quod sola veritas sit recta regula morum. Pag. 33.

Propositio undecima.

Veritas in rebus moralibus non nisi difficillime, ac raro inveniri potest; unde ignorantia iuris divini etiam naturalis, quae invincibilis sit, et à peccato excuset, saepissime datur: atque id necessario tenendum est ad vitandum errorem Jansenij de impossibilitate praeceptorum.

Propositio Duodecima.

Soluntas ea omnia re ipsa perficiendi, quae Deus re ipsa iussit, non esset appetitus rectus, sed temerarius, presumptuosus, ac stultus. Item. Ille qui auxilio Dei fretus absolute intendere, et expresse vellet exequi ea omnia, quae Deus re ipsa iussit, imprudenter faceret, neque id posset prudenter à Deo sperari. Pag. 42.

Propositio Decimatertia

In quavis opinione etiam minus probabili et cognitâ ut tali, continetur invincibilis ignorantia divina Legis, quae à peccato excusat agentem contra illam. Pag. 45.

Propositio Decimaquarta.

Qui negat licitum esse in moralibus sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam, impingit in haeresim Iansenianam de impossibilitate praep- torum, et de ignorantia invincibili non excusante à peccato. Certum est, quod talis opinio non aliam matrem habeat quam haeresim Iansenianam. Pag. 50.

Propositio Decimaquinta.

Sed nihilominus ad rectè operandum non sufficit sola opinio etiam vera, ac Legi Dei conformis, et absque omni dubitatione, et ambiguitate ab Operante existimata vera, sed requiritur ultimum dictamen conscientiae metaphisicè certum, et evidens de honestate formali operationis. Pag. 53.

Qui supradictas propositiones detulit S^{ta} Sedi, nova reflectione factâ, vult, maioris claritatis gratia, ut post 7.^{am} propositionem addatur ista: Potest quis ex Catholico fieri prudenter haereticus. Hanc sub his terminis tradit P.^r Jacobus Plateli 3.^a part. Synopsis Theologiae cap. 1. n. 61. referens pro eadem sententia Tanerum, et alios Recentiores. Item,

ut ei annectatur ista universalior, quam sub his termini-
nis admittit Comptonus Anglicus. tom. 2. disp. 10. Sect. 3.
n. 7. Etiam in rudioribus contingere potest, ut quis Iudaeo-
rum, Turcarum, aut haeticorum Religionem citra cul-
pam amplectatur. Sitque id sine incommodo posse conce-
di: sic enim multi inter illos salvabuntur, si articulos
ad salutem consequendam necessarios credant, ut Deum
esse, et remuneratorem esse. Ceterum ad damnandas hu-
iusmodi propositiones in specie, pro censoribus nihil opus
est addere, praeter ea, quae ad 5.^{am} et 6.^{am} propositionem
insinuavimus, et sufficit quod habetur in Cap. Firmissi-
mie bene. De haeticis, et definitum est in Concilio Late-
ranensi Cap. firmiter. de Summa Trinitate. Osten-
sum pariter est in haeticis, Iudaeis, et Mahumetanis,
si quando credunt quae vera sunt, eorum fidem nulla-
tenus esse fidem veram et salutarem, sed falsam, falla-
cem, et illusoriam, quae nihil ad aeternam salutem pro-
desse illis possit.

Prima propositio.

Ultimum dictamen conscientia nunquam est erro-
neum, sed semper est verum, certum et evidens

Hanc propositionem docet in terminis P.^r Antonius Terillus
quæst. 17. de conscientia n. 44. Sibi sic ait. Universaliter lo-
quendo ultimum conscientia dictamen est verum, et evi-
dens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vin-
cibili. Eandem propositionem tradiderat quæst. 13. n. 41. di-
cens: si expresse loquamur de ultimo conscientia dictamine,
id est, de conscientia in primaria sua acceptione, constat illam
semper esse evidenter veram, adeoque nunquam erroneam, nun-
quam dubiam, aut scrupulosam esse, vel alterius divisionis ca-
pacem.

Hoc idem sentiunt et tradunt plures alij Scriptores mo-
derna, et Magistri, qui laxiores Probabilista dicuntur, et cuius-
libet opinionis etiam minus probabilis, et minus certe usum,
licitum, et in conscientia omnino tutum esse volunt. Nam
hi omnes, qui post Terillum scripserunt, eundem Terillum tan-
quam Oraculum sequuntur. Sed quod mirabilius est, Terillo
præiverat P.^r Martinus de Esparza Lib. 3. de actibus humanis.
quæst. 22. in fine, ubi præsupposita quâdam alia propria, et
falsa doctrina sua (de qua mox in secunda propositione age-
mus) ita concludit. Unde ultimum dictamen conscientia sem-
per est evidens, et evidenter conforme voluntati divina, nec potest
illi subesse falsum.

Sideat ergo, et iudicet Apostolica Sedes, an hæc
doctrina, ut iacet, toleranda sit in Ecclesia Dei? Nam ex se
statim apparet non solum nova, et absurda, et valde scanda-
losa, ac piarum aurium offensiva, sed planè impia, blasphema,
et hæretica. Ecquis enim verè Christianus, et benè affectus in
Christum, non exhorrescat, si dicatur ultimum illud dicta-
men conscientia quo perfidi Iudæi obstinatissime sibi persua-
dent blasphemandum, et execrandum sibi esse Christum, tan-
quam

tanquam Dei inimicum, deceptorem, et eversores divina Legis, esse verum, neque Iudaeos in hoc dictamine decipi, et enormiter errare? Nam quod est in intellectu verum, hoc est in rebus esse, ut Sapiens est principium. Dicere ergo verum esse ac rectum dictamen illud conscientia, quo Iudaei Christum blasphemant, et execrantur, est dicere, Christum Dominum vere ac re ipsa esse blasphemandum, et execrandum, sive Iudaeorum execratione, et odio dignum. At hoc dicere, horrenda blasphemia est. Similiter haeretici Calvinista, qui obstinatissime credunt divinum Eucharistica Sacramentum non esse adorandum, sed turpem idololatriam esse ipsum adorare: iuxta dictamen suae conscientiae, sancte, ac religiose agere se putant, dum Sacras hostias in terram abijciunt, et pedibus conculcant. Dicere autem hoc dictamen conscientiae non esse erroneum, et haeticum, sed verum, rectum et evidens, manifestissima haeresis, et execrabilis blasphemia est.

Sane omnes Theologi à principio distinguunt conscientiam in rectam, et erroneam: erroneam vero in invincibilem, et vincibilem: et illam quidem excusare omnino à peccato, hanc vero non excusare, tanquam certum Theologiae Canonem tradunt. Angelicus autem Doctor S. Thomas, ex illa Salvatoris sententia Joannis 16. Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium prestare Deo: tanquam indubitabilem veritatem statuit conscientiam saepius errare 1.^a 2.^a quaest. 19. art. 6. et quaest. 19. de verit. art. 2. Et in 2.^{um} Sent. dist. 29. quaest. 3. art. 2.

2

Secunda propositio.

Voluntas conformis dictamini conscientia etiam vincibiliter errantis, confirmatur cum aliqua Dei voluntate saltem per accidens obligante, aut consulente &c.^a

Hac propositio traditur ab Esparza et Terillo ad explicandum quomodo ultimum dictamen conscientia nunquam sit erroneum, sed necessario et semper verum, rectum et evidens. Quia ut inquit Esparza Lib. 3. de actibus humanis quest. 22. fieri nequaquam potest, ut dictamen ultimum conscientia circa particulare eligibile hic et nunc, discordet à voluntate divina, sive per se, sive per accidens obligante, et consulente hic et nunc: nempe eo ipso quod voluit, ut voluntas in omni suo actu dirigeretur immediatè ab actu nostri intellectus, voluit utique, ut ipsa prosequeretur, atque vitaret quidquid intellectus, consideratis omnibus, ultimo concluderet, prosequendum aut vitandum esse hic, et nunc: neque aliud velle potuit, ut apparet evidenter ex terminis. Undè ultimum dictamen conscientia semper est evidens, et evidenter conforme voluntati divina, nec potest illi subesse falsum.

Similiter Terillus ubi supra n. 45. hanc ratione probat, ultimum dictamen conscientia semper esse verum, et evidens; quia voluntas conformis dictamini conscientia etiam vincibiliter errantis, confirmatur cum aliqua voluntate Dei saltem per accidens obligante, aut consulente. Cuius rationem reddit; quia Deus vult, nos operari dependentè à dictamine conscientia. . . Itaque quoties dictamen conscientia etiam errantis dictat in particulari operationem aliquam esse à Deo præceptam, Deus factà suppositione huius erroris, verè vult nos ponere actionem illi conformem.

Hac propositio, quæ reddi-
tur pro causâ et ratione prima, usque adeo non tollit illius ab-
surditatem, ut potius eam augeat, et errorem alium adiciat,
Deo iniuriosum, et totius divinae Legis relaxativum. Fingit

erim Legem quamdam in Deo per accidens existentem, ut
aiunt: quã scilicet Deus ipse propter errorem conscientia nos-
træ, et ex eius suppositione, deroget Legi æternæ suæ, ita ut si men-
dacia, periuria, et flagitiosa omnia credamus esse iussa, ea om-
nia consequenter iubeat ipse à nobis fieri. Hoc autem quid
aliud est, quam Deum Supremum Legislatorem, non modo Ra-
tioni nostræ, sed erroribus etiam nostris subicere, nobisque pri-
matum usurpare, ac velle, ut ea iussa apud Deum sint, quæ
iussa esse nos falsò existimamus, et non iussa, quæ arbitra-
mur non esse iussa? Atque ita, quod horrendum dictu est, si Iu-
dæi credant, ut plerique eorum obstinatissimè credunt, Iudaï-
smum hæcenus esse à Deo iussum, verè illis Deus Iudaïsmum
iubet, et sic Iudæi verè Legem Dei servant: et eodem modo Ido-
latra, et Turca, et Hæretici, et errantes omnes, qui à suâ cons-
cientiã erroneã ligantur, verè divinam Legem sequuntur,
et implent, et voluntatem Dei faciunt in sceleribus suis enor-
missimis.

Sanè doctrina ista nihil ditare videtur ab illo capita-
lissimo errore, quem refert, et refellit Gregorius de Valentia tom.
3.º Disp. 1. quæst. 2. punct. 2. Et in tomo controvers. Lib. 2. de
Analisi fidei Cap. 1. Scilicet unumquemque non provisus athe-
um, sive fidem Christi recipiat, sive non recipiat, secundum Sec-
tam vivendo suam posse Deo placere, et salvari; dummodo credat
eam esse bonam, et à Deo, ipsique placere, et nihil agat contra pro-
prium conscientiam, sed congruenter cum eo, quod ipse putat
honestum, et religiosum esse, vivat et sentiat. Id quod asserit Tur-
cicum Alcoranum Cap. 2. et asseruere olim Ethnici, teste Divo
Augustino, ut ex illo refert Valentia loco citato.

Eiusmodi errorem iam
pridem egregiè confutaverat Guilielmus Parisiensis, in suo tract.
de Legibus Cap. 21. Vbi consecutaria eius horribilia, et absurdissi-
ma in hunc modum expendit Ex eo enim sequitur, inquit, nihil
esse virtutem, nihil vitium simpliciter, quia credenti de virtu-
te quod sit vitium, aut è converso, virtuosum erit agere contra

virtutem

virtutem, vel secundum vitium. Imo religiosum fiet unicuique
 credere secundum credulitatem suam, quantumcumque impiam,
 vel erroneam. Amplius. Secundum hoc nullus errabit, vel cre-
 dendo, vel operando, cum credendum sit unicuique, quod credit,
 et operandum quod operatur secundum credulitatem erroris sui;
 iterum aequè coletur Deus secundum hoc vitij, et virtutibus;
 et aequè compositi erant mores vitiosi, et iudicio Dei aequè lau-
 dables, quin aequè remunerabiles. postquam non refert quid
 agat unusquisque, vel qualiter, sed solummodo, quid credat se age-
 re, vel intendat, aut qualiter; per hanc viam aequè colenda
 erunt idola, ut Deus altissimus; si credantur aequaliter esse co-
 lenda; et meritorie, atque religiose negabitur Deus, si creda-
 tur esse negandus. Haec ibi Doctissimus et prudentissimus
 Author.

Tertia propositio

Hoc ipso, quod Deus vult actus voluntatis regulari ab actibus intellectus, necessario vult, ut voluntas fugiat, aut amplectatur id, quod intellectus per conscientiam dic-
tamen tanquam fugiendum aut amplectendum proponit.

Hac propositio traditur à prædictis duobus Scriptoribus, Esparrza, et Terillo, pro unico fundamento utriusque propositionis præcedentis: ut constat ex eorum verbis supra relatis. Sed generatim accepta, pro ut ab illis accipitur, et pro ratione sua doctrinæ affertur, proculdubio est etiam per se falsa, et erronea vel heretica. Nam falsò supponit Deum dedisse nobis pro regulâ voluntatis intellectum secundum se, aut quomodolibet sumptum, id est, non prius regulatum, et informatum divinâ Lege, sed quasi ex legem, liberumque, ac solutum ab essentiali debito conformandi suum iudicium cum supremâ regulâ totius rectitudinis, quæ est ratio, et voluntas Dei. Quin potius manifesta hæresis est dicere Deum ita nobis dedisse intellectum pro regulâ nostrorum actuum, ut universim, et absolute velit, aut iubeat à nobis fieri, aut vitari quidquid intellectus noster, seu bene, seu male, vere, vel falsò nobis proponit, ac dicat, esse amplectendum, aut fugiendum.

Hoc patet 1^o. Quia de fide est, nos strictissime obligari ad diligenter inquirendum, et sciendum, quæ sit voluntas Dei, et quid ipse nobis per suam Legem iubeat, aut prohibeat. Constat enim de hoc ipso extare in Scripturis divinis præcepta Dei expressa. Deuter. 6. erunt, inquit, verba hæc, quæ ego precipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis, sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere: et ligabis ea in manu tuâ. Quem locum affert Divus Thomas 2^a 2^a quæst. 16. art. 2. et exponit, quomodo ibi convenienter tradantur præcepta pertinentia ad scientiam, et intellectum. Primo enim præcipitur acceptio scientiæ, quæ

qua fit per doctrinam et disciplinam. Secundo, usus eius, qui est meditatio eorum, qua quis scit, et intelligit. Tertio vero conservatio ipsius. Et quantum ad hoc subduntur illa omnia, ligabis ea quasi signum in manu tua &c. Per quae (ait S. Doctor) iugem memoriam mandatorum Dei significari. Hac autem praecepta, quae in veteri Lege scripta sunt (subiungit ibidem) etiam abundantius in novo testamento, tam in doctrinam Evangelicam, quam Apostolicam, mandata leguntur.

Iterum vero Deuter.

12. Non faciat unusquisque, quod in oculis suis rectum videtur; sed quidquid ego praecipio, hoc observabitis, ut faciatis Domino. Et num. 15. non sequantur cogitationes suas, sed memores praeceptorum Dei, faciant ea. Latet ergo, Deum minime velle, ut prosequamur, aut vitemus quidquid intellectus noster bene vel male, vere, vel falso, amplectendum, vel fugiendum nobis proponit: minime velle, ut indistincte faciamus, quidquid nobis rectum videtur, sed oppositum potius iubere.

De fide

est, Deum prohibuisse haereses, et errores, et impias opiniones de Deo: et hanc de causa scriptum esse, ut qui dicitis malum bonum, et bonum malum, hoc est errantibus in rebus a Deo praeceptis, et existimantibus bonum, quod est a Deo prohibitum, aut malum, quod est ab ipso praeceptum. Hoc idem ut denuntiavit etiam Christus Dominus, Doctoribus Legis, quos vocat caecos et caecorum duces. Propterea Apostolus omnes admonet, dicens. Nolite errare. Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Dei &c.

Fides itaque, Scriptura, tra-

ditio, Patres, et Theologi omnes tradunt Legem, et voluntatem Dei esse primam, et universalem regulam totius rectitudinis humanorum actuum, secundum quam agendum sit, ut agatur recte: iudicium vero, sive dictamen conscientiae nostrae solummodo esse regulam secundariam et subordinatam primae, per quam ipsa Lex Dei nobis proponitur, et applicatur

applicatur. Ex quo fit, ut si ratio et conscientia nostra discordet à Lege Dei, hoc ipso non sit conscientia recta, sed erronea, veluti cum dicitur mendacium et periurium esse hic et nunc licitum, et honestum, aut etiam obligatorium, cum tamen sit universim et omnibus à Deo prohibitum. Unde in terminis implicat, hanc secundam regulam esse rectam, et non esse conformem regule primæ; quia si recta esset, et non conformis, hoc ipso esset regula prima, et non secunda; esset enim per se ipsam essentialiter recta; siquidem eius rectitudo non esset mensurata, neque dependens à conformitate cum aliâ regulâ superiori.

Quare dum Esparza, et Ferillus contendunt, conscientiam nostram nunquam errare, quia Deus, eo ipso quod illam nobis dedit pro regulâ, necessario vult fieri quod illa dicat, nec quidquam nobis iubet, aut prohibet, nisi cum hac subordinatione ad dictamen conscientie nostræ, planè invertunt totum rerum ordinem; nam certè, hoc modo, sola nostra existimatio et conscientia constituitur unica, et prima, et universalis, et absoluta regula boni, et mali moralis.

Quarta propositio

Nullum est peccatum, quod non sit contra conscientiam.

Nemo actu peccat, nisi actu cognoscat
et advertat se peccare.

Nullum esse peccatum, quod non sit contra conscientiam, tanquam certum statuit Christianus Alethinus in quest. de peccatis ignorantia cap. 1. art. 3. cuius titulus est, non esse peccatum, quod non est contra conscientiam: Id quod necessario sequitur ex primâ et secunda propositione precedenti, et utriusque fundamento, nempe quod ultimum dictamen conscientia semper sit verum, et evidens etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili: et quod voluntas et actio conformis dictamini conscientia, necessario, et semper Deo placeat, ac sit conformis voluntati divinae saltem per accidens obliganti, aut consulenti, ut fiat.

Constat etiam ex

Libro, cui titulus, Specimen Theologiae per Belgium manantis, fuisse alios modernos Scriptores, qui universim asseruerunt, ut actio quapiam sit peccaminosa, oportere, ut procedat ab homine qui agnoscat, et videat quid mali in eâ sit: et sic nullam actionem malam esse, nisi quam agens malam esse arbitratur. Proposita etiam fuit Lovanii à quodam Professore sustinenda haec Thesis. Quisquis sine vllâ formidine oppositi, aut advertentiâ ad vllam malitiam, iudicat operationem non esse malam, non peccat, operationem illam ponendo, sive illud iudicet evidenter, sive tantum probabiliter, sive verè, sive falsò, solidâ, vel non solidâ ratione nitus.

Quamvis autem facultas Theologica Lovaniensis anno 1657. censuerit, eam doctrinam esse contra Communia Christiana Religionis principia, et quod innumera etiam immanissima hominum peccata excuset, cum perniciè animarum. Quin etiam et Ecclesia Parisiensis per

per suos Vicarios anno 1658. de eadem doctrinā suam pariter sensum declaraverit his verbis: Doctrina hæc est falsa, erronea, scandalosa, contraria Sacra Scriptura, Ecclesia Patribus, et Theologia, quæ peccata ignorantia agnoscit; excusationes suppeditat peccantibus ad eorum perniciem, et Christianos ad negligendam salutis viam impellit. Quod ipsum ferme in Synodo Senonensi eodem anno iudicatum est.

Nihilominus Author Apologie Casuistarum contra calumnias Jansenistarum, eandem doctrinam tanquam certam et indubitatam supposuit, et iactavit his verbis: nullum est peccatum formale, nisi conscientia hic et nunc iudicet de malitiâ. Quid hic mali? Excipe Jansenianam, aut Scriptores quoddam Recentiores. Atque huiusmodi existimatio usque adeo apud alios Modernos Theologie Moralæ Scriptores, et Magistros invaluit, ut Doctor quidam Salmanticensis errorem putaverit, et ad Sanctæ Inquisitionis Officium detulerit hanc Celladei sententiam, peccata actualia committi à nescientibus malitiam actualiter.

Oportet ergo, ut Sanctitas sua supradictam propositionem iubeat accuratissimè examinari, dispi-
ciatque, ac iudicet an sit amplius toleranda in Ecclesiâ Dei, an verò damnanda et prohibenda? Nam sanè videtur omninò falsa et erronea, vel heretica, et animarum salutî perniciosissima.

In primis enim dari peccata per ignorantiam commissa sine vllâ actuali cognitione malitiæ, constat esse communem Theologorum sententiam. Quippè omnes Theologi cum Magistro in 2^o distinc. 2. et 43. et cum Divo Thomâ 1^a 2^a quest. 76. et 77. et 78.

tria

tria genera peccatorum distinguunt, nempe ex ignorantia, ex infirmitate, et ex malitia. Quae distinctio desumpta est ex Sanctis Patribus, praesertim Isidoro, Augustino, Gregorio, et Bernardo. Nam Isidorus Lib. 2. Sentent. Cap. 17. Tribus, inquit, modis peccatum geritur, hoc est, ignorantia, infirmitate, et industria. Atque ex his tribus modis gravius est infirmitate, quam ignorantia quemquam delinquere, graviusq. industria, quam infirmitate peccare. Et paulo post subiungit; ignorantia namque modo peccavit Eva in Paradiso sicut Apostolus ait.

Gregorius Lib. 25. Moral. Cap. 26. sic ait. Sciendum quippe est, quod tribus modis admittitur peccatum; nam aut ignorantia aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat: qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. Petrus vero infirmitate peccavit &c.

Augustinus autem in Enchir. Cap. 80. peccata ignorantia, et infirmitatis distinguens ait. Hoc nunc dicam quod quidem, et in alijs Opusculorum meorum Locis saepe iam dixi. Quibus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam vidimus. Quorum duorum, illud ignorantiae malum est, hoc infirmitatis.

Et tandem Bernardus serm. 26. de modo bene vivendi: tribus modis, ait, peccatum committitur, videlicet per ignorantiam, per infirmitatem, et industriam. Per ignorantiam peccavit Eva in Paradiso, sicut

ait Apostolus: vir non est seductus, sed mulier
fuit seducta.

Secundo. Theologi omnes distinguunt ignorantiam: et alia dicunt esse invincibilem, qua penitus aufert rationem voluntarij, et à peccato excusat in totum: aliam vincibilem, et culpabilem, qua non excusat à toto, sed à tanto, id est, rationem voluntarij et culpa non aufert, sed minuit. Unde positã conscientia erroneã vincibili dictante aliquid esse obligatorium, quod reverã est malum, ut furtum, consequenter docent utroque modo peccatum incurri, sive aliquis contra conscientiam suam agat, sive iuxta illam; et unicum proinde superesse medium vitandi peccatum, nempe quod error conscientie deponatur. Quam doctrinam, veluti certam, et indubitatam tradit Thomas Sanchez ex communi omnium Theologorum sensu Lib. 1. Summe Cap. 11. n. 12. his verbis. Quando conscientia erronea est vincibilis, seu culpabilis, et dicat aliquid esse sub præcepto, quod quidem peccatum errat, ut si dicat teneri quempiam furari, ut pauperi subveniat; peccati reus erit, sive furetur, sive non furetur; furando quidem contra præceptum non furandi, à cuius transgressione ignorantia illa culpabilis excusare nequit; non furando autem, quia contra conscientia erronea dictamen agit. Et ita docent D. Thomas, Medina, Sarquez, Valentia, Corduba, Azor, Salas, et omnes. Hæc ibi Thomas Sanchez. Ex quo patet hanc esse omnium Theologorum sententiam, peccare aliquem posse quin illo modo agnoscat et advertat se peccare.

Quin etiam pluri Theologi expresse testantur id esse de fide: inter quos L^o Gregorius de Valentia 1^a 2^a disp. 6. quest. 6^a quest. 6. punct. 1. sic ait, et quidem quod

ad

7

quod ad ignorantiam attinet, ex fide certum est, eam aliquo tandem modo esse quandoque causam peccati. Latet ex Num. 15. si anima nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: et deprecabitur pro eâ Sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam et dimittetur illi. Et Actorum 3. nunc fratres scio, quod per ignorantiam fecistis. Et 1^a ad Corinth. 2. Si enim cognovissent nunquam Dominum gloria crucifixissent. Et 1^a ad Timoth. 1. misericordiam consecutus sum, quoniam ignorans feci in incredulitate &c. Similiter Thomas Sanchez Lib. 1. in Decal cap. 17. num. 1. ait: imo esse aliquam ignorantiam, non prorsus à culpâ excusantem, sed illam minuentem, est de fide. Ratio est, inquit, quia quod ignorantia vincibili latet, est voluntarium, et si indirectè.

Sunt vero innumera alia scriptura loca, præter hæc ~~ex~~ que ex P. Valentia nuper retulimus, ex quibus S^{ti} Patres unanimiter omnes docent aliquando peccari per ignorantiam, et ex ignorantia, atque ita ut homo nesciat se peccare. Imo non solum peccari ab his qui nesciunt malum esse quod faciunt, sed etiam ab his qui per errorem conscientia positive arbitrantur, se obsequium præstare Deo. Id enim in sensu obvio, et litterali colligunt S^{ti} Patres, ex illo psalmi. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Et ex proverb. cap. 16. Est via que videtur homini recta: novissima autem illius ducunt ad mortem, et 1^a ad Corinth. 4. sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est. Ex textu etiam Evangelij Lucæ cap. 12. Servus, qui cognovit voluntatem Domini, et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Denique ex clarissima illa Salvatoris sententiâ Joann. 16. venit hora

ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium
prestare Deo. Ex quo habetur Iudeos arbitratos esse obse-
quium se prestare Deo interficiendo Apostolos, et discipulos
Domini. Et tamen illi nullo modo tunc agnoscebant se in
eo peccare, imò neque de hoc dubitabant, aut ambigebant:
implicatoria enim sunt hæc simul duo iudicia: ego puto
me in hoc placere Deo, et tamen vtrum peccem, et illi dis-
pliceam, dubito, et remorru etiam conscientia me peccare
scio, ac sentio.

Id exemplo Pauli manifestissimè constat. Nam
quod peccaverit graviter cum Ecclesiam Dei persequeretur,
ipsemet palam fatetur 1^o ad Timoth. 1^o dicens se prius blay-
phemum fuisse, et persecutorem, et contumeliosum, et pri-
imum omnium peccatorum; sed misericordiam Dei conse-
cutum, quia ignorans fecit in incredulitate: et ut in se
1^o ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad infor-
mationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æter-
nam. Aliundè vero, non solum simpliciter ignorabat, se
peccare in illa sua Ecclesia persecutione, sed existima-
bat potius se ea omnia debere facere, quæ fecit: nam id
etiam ipsemet testatur aperte Act. 26. dicens: et ego
quidem existinaveram me adversus nomen Iesu Nazara-
reni debere multa contraria agere: quod et feci Ierosolimis &
Qui autem sibi persuadet, et credit se debere aliquid agere,
non potest ullo modo sentire aut dubitare, se teneri ad
illud non faciendum.

Itaque à Sanctis Patribus tanquam cer-
ta veritas fidei traditur, posse quem peccare nesciendo ma-
lum esse quod facit, ac proinde non satis esse zelum Dei ha-
bere, si non sit secundum scientiam. Sanctus Basilius
quo nemo terre Gregorius Nazianzeno sacra scriptura Libris
serius aut uberius explicavit, Lib. 1. de Constit. Monast. Cap.
2. sic ait: cum multis in rebus offendamus Deum, maio-
rem tamen offensarum partem, ne intelligimus quidem

Idcirco Apostolus dicebat. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; quod idem est, ac si diceret: multa delicta committo, quae committere non intelligo. Propter hanc causam, etiam Propheta ait, delicta quis intelligit. Et in Regulis brevioribus Reg. 58. Sane, inquit, iudicium Domini in ijs etiam, qui ex ignorantia peccant, perspicuum est illis verbis: qui non cognovit, et fecit digna plagsi, vapulabit paucis. Rem fuse prosequitur Orat. 3. de peccato. Tales igitur quam plurimas contra omnem inobedientiam, sententias in veteri Testamento latas reperimus. Nec leviozem etiam ijs ex novo Testamento, immo longe graviorem iudicij severitatem disco. Unde illud: servus, qui voluntatem Heri sui cognoscit, nec ei satisfacit, multis flagris cadetur: at quem praterierit, fecerit autem ea, quae pena digna sunt, levius sane vapulabit. Ac prorsus Christus eum, qui ex ignorantia peccat, non omnino iudicat liberum esse a pena, sed graviorem multo comminationem extendit in eum qui cognoscendo &

Stus Chrysostomus homil. 11. super 1. am Epist. ad Corinth. ad illa verba Pauli. Nihil mihi conscius sum & sic ait: Quid igitur dicemus? Quod accidit hominem in quibusdam peccare, quae peccata esse ignorat. Et homil. 6. in Caput 2. Math. Nec de his tantummodo puniendi sumus, quae sciendo peccamus, verum etiam pro illis, quae ignorando committimus. Nihil, inquit Apostolus, mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; et hoc dicit ille, qui conscientiam iugiter ponderabat, qui que maximam scientiae luce refulgebat. Testimonium, inquit illis perhibes, quia amulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Veruntamen hoc eis ad purgationem non omnino sufficit. Sed et Corinthijs scribens. Timeo inquit, ne sicut Serpens Evam reduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidatis a simplicitate, quae est in Xpto Iesu. Prostantis igitur peccatis penas daturus, securus tui sedes miserabili visu &

Ambrsius in Comment. ad illa eadem
verba Pauli, nihil mihi conscius sum; ^{h. sic ait} Loquitur (ait) et
humiliat se ut homo, qui possit culpam incurrere nescius.
Et tract in psalm. 118. serm. 5. hac habet. Sed et ipse timor
Domini, nisi secundum scientiam sit, nihil prodest; imo sibi est
plurimum. Siquidem Iudaei habent zelum Dei: sed quia non
habent secundum scientiam, in ipso zelo, et timore, maiorem
contrahunt divinitatis offensam, quod circumcidant infan-
tos suos, quod sabbatha custodiunt, timorem Dei habent, sed
quia nesciunt Legem Spiritualem esse &

Augustinus Epist. 154.
Si quis, inquit, bonum putaverit esse quod malum est, et fece-
rit hoc putando, utique peccat; et ea sunt omnia peccata ig-
norantis, quando quis bene fieri putat, quod mali fit. Et
Lib. 1. Operis imperfecti adversus Iulianum Cap. 107. Neces-
se est enim, ut peccet qui nesciendo quid facere debeat, quod
non debet facere, facit, de quo genere malorum Deus ro-
gatur, ubi dicitur: delicta ignorantiae, et ignorantia mea
ne memineris. Quod genus delictorum, si non imputaret
Deus iustus, non ea tibi dimitti, posceret homo fidelis.

Hierony-
mus in Dialogis contra Pelagianos Lib. 1. inter alia complura
haec habet. In proverbijis legimus: est via, qua videtur recta esse
apud homines, et novissima eius veniunt in profundum infer-
ni: ecce et hic manifeste, ignorantia condemnatur, cum aliud
putat homo, et sub specie veritatis ad inferna delabitur.
Deinde Lib. 2. Audi, inquit, aliud Pauli testimonium cui
contradicere non poteris. Nihil mihi conscius sum, nec ta-
men in hoc iustificatus sum. Qui hoc dicebat, nullius utique
peccati sibi conscius erat; sed quia legerat: delicta quae intel-
ligit Psalm. 10. et sunt via, qua videntur viro iusto, novis-
sima autem earum respiciunt in profundum inferni: id-
circo temperavit sententiam, ne forte per ignorantiam deli-
quisset: maxime cum Scriptura testetur: est iustus, qui spe-
rit in iustitia sua (nempe falso praesumpta)

9

S. Gregorius Magnus Lib. 5. Moral. cap. 6.
sepe, inquit, opus nostrum causa damnationis est, quod pro-
fectus putatur esse virtutis. Sape, Unde placari Iudex credi-
tur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone at-
testante, qui ait, est via qua videtur homini recta, et novis-
sima illius ducunt ad mortem.

Scimus præterea errorem fuis-
se Celestij et Pelagianorum in Synodo Palestinâ damna-
tum, ut Augustinus refert Lib. de gestis Pelagianorum
Cap. 33. oblivionem, et ignorantiam non subiacere pecca-
to, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secun-
dum necessitatem ~~eveniunt~~. Quam doctrinam Synodus il-
la, hæreticam censuit, et Scripturis divinis manifestè con-
trariam; cum David dicat: ab occultis meis munda me,
et ignorantias meas ne memineris; et cum in Lege sa-
cificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur. Cum
dem errorem proponit S. Hieronymus in duobus Libris
Dialogorum contra Pelagianos, nomine Critobuli dicen-
tis. Logo qua est ista iustitia, ut in peccato teneat er-
roris, cuius reatum non habet conscientia, nescio, me pec-
care, et eius rei, quam nescio penas tuo? et quis plus fa-
ciam si spontè peccavero? Id quod Hieronymus percur-
rendo vetus, et novum testamentum, fusissime impug-
nat, et conterit immensâ mole Scripturarum.

Eundem ex-
vrem succitavit postea Petrus Abailardus, sed ^{protinus} ~~confestim~~
redivivum extinxit Sanctus Bernardus in Epist. 77. Vbi pro-
positâ sibi hæc assertione illius Doctoris, neminem igno-
rantèr, vel ex ignorantia peccare, fortissime in eam in-
vehitur, ac de insipientia, et manifesto errore, sive men-
dacio redarguit, dicens. Veritatis proinde testimonijs pau-
cis, et manifestis, manifestum mendacium confutetur.
Si forsitan, qui asserit, non posse peccari per ignorantiam,
nunquam pro suis ignorantijs deprecatur, sed potius Pro-
phetam

phetam irrideat, deprecantem, et dicentem: Delicta iuven-
tutis meae, et ignorantias ne memineris. Fortitan, et re-
prehendet Deum exigentem pro peccato satisfactionem:
Loquitur enim in Levitico ad Moysen dicens: Anima si
peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex ijs, quae
Lege Domini prohibentur, et peccati ream intellexerit ini-
quitatem suam, offeres arietem immaculatum de gre-
gibus, sacerdoti iuxta mensuram, estimationemque pec-
cati; et rursus: qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, et
dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino.

Pergis

Deinde maiore vi, et ardore Bernardus. Si peccatum ig-
norantia nullum est, non ergo peccavit Paulus quod per-
secutus est Ecclesiam Dei; quoniam quidem ignorans
hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat,
quod erat blasphemus, et persecutor, et contumeliosus,
quod erat spirans minarum, et cadis in Discipulis Da-
vidi, in hoc ipso quippe abundantius Amulator existens
paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dice-
re: Misericordiam consequutus sum, sed mercedem ve-
cepi; quippe quem ignorantia a peccato reddebat immu-
nem, insuper et amulatio remunerabilem indicabat.
Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo
cauamur adversus Occisores Apostolorum? Quoniam
quidem, non solum malum esse nocuerunt, sed insuper
quoque id faciendo arbitrati sunt se obsequium pres-
tare Deo? Sed et frustra in Cruce Salvator pro suis ora-
bat Crucifixoribus, quippe nescientibus (ipro teste) quid
facerent, et ita nequaquam peccantibus &c. Nunquid
non ex his satis apparet, inquantis iaceat ignorantia
tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per igno-
rantiam?

Successit deinceps abominabilis Secta Libertinorum, de
qua Spondanus in continuatione Annalium Ecclesiast. Card.
Baronii

Baronij ad annum 1575. n. 25. ait. Hoc annus exijt etiam Secta Libertinorum. . Qui ex Galliã profugi errores suos in Brabantia, Hollandiaque disseminaverunt. . . Nihil ex eorum sententiã erat peccatum, nisi eorum opinio, qui se peccare putabant. Atque id ipsum, teste Lyndano, vocabant Evangelicam Libertatem; Unde et Libertini dicti sunt. Nihil autem apparet, in quo re verã differat ab isto eorum principio propositis illa quorundam Moralitarum de quã modo agimus, scilicet, nullum esse peccatum, quod non sit contra conscientiam, et nullam actionem esse malam, nisi quam agens malam esse arbitratur.

Denique ex eodem falso principio, quod nemo actu peccet, nisi actu cognoscat, et advertat se peccare, orta est propositio illa de peccato philosophico, quam Alexander Papa VIII. scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam declaravit, et ut talem damnavit, et prohibuit: scilicet, quod peccatum philosophicum, id est, natura rationali, et recte rationi disconveniens, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque eternã penã dignum. Ex quo iam certo constat, posse quem peccare mortalitèr, quin actu cogitet, vel advertat se gravitèr peccare, ac Deum offendere; nam qui de Deo actu non cogitat, profecto nec cogitat se offendere Deum.

Prætermitto alia plura et illustria Theologorum, qui de incertitudine gratiæ contra hæreticos disputant, testimonia, et argumenta pro peccatis ignorantia, sine ullã conscientia reprehensione, vel scrupulo, aut remorsu commissa. Nam ex ijs quæ à nobis allata sunt, satis clare constat in ^{+ ut Bernardus aiebat} quantis iaceat ignorantia tenebris, qui negat peccari posse per ignorantiam. ^{+ Hunc solum addo, contrariam existimationem perniciosissimam esse salutem animarum. Hoc enim mali habent peccata per ignorantiam commissa, ut} ^{+ App. te}

sint magis insanabilia, quam quae scienter fiunt: ut ^{secundus} Augustinus de se ipso in libris Confessionum scribit: eo insanabilius peccabam, quo me non peccare arbitrabar. Quem locum adducit D. Bonaventura in 2.^{um} Dist. 22. art. 2. quest. 3. ut inde exponat Ambrosium ad Rom. 11. dicentem, gravissimè peccas, si ignoras. Ait enim, quod ignorans dicitur gravissimè peccare, non ratione maioris culpa, sed ratione infirmitatis magis periculose: quia cum non habeat scientiam de morbo, sive culpa, non quaerit Medicinam, et ita semper remanet morbus, et hoc est, quod dicit Augustinus lib. 5. confess. cap. 10. eo insanabilius peccabam, quo me non peccare arbitrabar. Quod ipsum habet S. Thomas ibid. quest. 2. art. 2. dicens gravissimè peccare qui ignotat, non propter quantitatem peccati, sed propter periculum, quia dum morbum non cognoscit, medicinam non quaerit.

Positâ verò contrariâ existimatione falsâ, quod nemo peccet nisi contra dictamen propria conscientiae agens, et actu advertens, et sciens se peccare, hoc malum gravissimum proprium peccati per ignorantiam commissi redditur longe insanabilius. Nam qui præcisè ignorat, et nescit, se in hac aut illâ materiâ particulari peccare, aut peccasse; si tamen in genere sciat, se potuisse per inadvertentiam, vel ignorantiam culpabilem incurrere plura peccata, quae ipsum adhuc lateant, poterit saltem in genere eorum veniam deprecari cum Prophetâ dicens: ab occultis meis munda me, et ignorantias meas ne memineris Domine: et sic cum verâ penitentia, ac dolore de omissionibus suis, et negligentijs in praescrutandâ et sciendâ Lege Dei, iustificari et salvari. Qui verò securus est, et certus se per ignorantiam peccare ^{non} posse, consequenter falsâ istâ securitate deceptus, neque unquam penitebit, neque veniam à Deo petet de ijs, quae per ignorantiam commisit, ac proinde neque illam obtinebit, sed in peccatis suis morietur. Unde Charitas Christi urget nos, et urgere maxime debet Supremum Ecclesiae Pastorem, ut pro aeternâ

ovium

11

orvium sibi à Deo commissarum salute tam perniciosus er-
ror à fidelium cordibus deleatur.

Quinta propositio

Hæretici videntes et morientes in suâ Sectâ
quam veram putant, possunt ^{salvi esse} isti esse et sal-
vâri, si in alijs contra propriam conscientiam
non peccent, aut peccata quæ peccaverint,
actum verè contritionis exercent.
propt absolute possunt.

+ Deo pro Deo placet

+

Hanc propositionem ultro fatentur illi, qui universalitèr as-
serunt ultimum dictamen conscientia semper esse verum, cer-
tum et evidens: et neminem peccare nisi contra propriam
conscientiam agat: neque ullam actionem esse malam, nisi
quam agens malam esse arbitratur. Item illi, qui pro rectâ
conscientia regulâ sufficere putant quamlibet opinionem mi-
nus probabilem tam in materiâ fidei, quam in materiâ mo-
rum: Et ulterius docent non solum illud, quod est vere proba-
bile

bile absolute, et in se, sed etiam quod ex ignorantia, et errore unicuique apparet esse probabile, cum re vera non sit, sufficere ad conscientiam formandam iuxta quam apendo, nemo peccare possit. Hi enim omnes consequenter etiam dicunt, hereticos, et Schismaticos, imò et quolibet alios infideles secundum falsam Religionem, aut Sectam vivendo suam, posse Deo placere, et salvari.

Ita P. Antonius Terillus quest. 4. de Conscientia assert. 2. absque ulla dubitatione docet, eos qui educantur in heresi, et nunquam audierunt argumenta contra suos errores, sed solum perceperunt auctoritatem, et rationes heresi sua faventes, probabiliter et prudenter existimare vera esse quae à suis maioribus didicerunt. Sunt enim, inquit, haeretici tantum materiales, et in suo errore irreprehensibiles, ut constat ex hypotesi. Unde hoc exemplo demonstrat, esse aliquas opiniones probabiles quoad nos, quae tamen non sunt probabiles quoad se. Nam haereses et errores illi quoad eos sunt probabiles, cum tamen quoad se improbabilis sint. Et quest. 10. tanquam certum principium assumit, neminem peccare peccato heresis, quandiu suus error verosimilior, et probabilior ei esse videtur quam veritas opposita. Nam prestare assensum parti, quae verosimilior apparet, prudentia est non pertinacia, et haeresis.

Eodem modo alij populos haeticorum non solum à peccato heresis excusant, sed in statu etiam salutis constituent. Quocirca mirabilis est resolutio, quam ex Caramuele refert, et probare videtur P. Mendo in Epitome Opinionum Moralium in Appendice casuum valde notabilium, Ubi agit de absolutione moribundi. Casus est hic. Haeticum Lutheranicum alias bene moratum Sacerdos Catholicus eius amicus in extremis constitutum invisit. Inter eos id datur colloquium. Nonne in Religione Lutherana permanes, quia eam veram indicas? Utique: Si falsam putares, nonne illico eam deseres?

veres?

veres? Maximè. Nonne ex animo doles te Deum offendisse
ob eius bonitatem, aut propter inferni penas æternas? Doles.
Nonne confiteris coram Deo, te peccasse? Confiteor. Nonne mihi
confitereris, si scires, me posse ac debere te absolvere? Ità pro-
fectò. Amisit ille tunc loquelam. An ab eo Sacerdote fuit
absolvendus? Respondes. Si habuit Sacerdos aliquam ratio-
nem dubitandi inspectis circumstantijs, debuit absolvere il-
lum sub conditione. Si nullam habuit, dum ille moribundus
seriò omnia illa responderit, debuit absolute illum absolvere;
nam ea Confessio fuit integra formaliter, estò non materia-
liter, cum nihil defuerit ad confessionem formalem, nempe
accusatio de peccatis generica, et dolor sufficiens: cum aliunde
satis ostenderit ille homo desertionem Lutheranismi, et vide-
tur materialiter in eo sequendo errasse; siquidem purifica-
te sunt illæ conditiones in colloquio appositæ, et eis purifi-
catis expressit ille seriò deserere velle hæreticos errores, et ve-
ram Religionem sectari.

Cumdem casum affert P^r Gobat tom. 1.
 tract. 7. n. 622. et n. 623. Vbi supponens prædictum Luthera-
 num, alias bene moratum, hæreticum fuisse tantum ma-
 terialem, probat Confessionem in casu posito factam, si seriò
 talia dixit ille, fuisse veram confessionem: fuisse quoque
 integram formaliter, etsi non materialiter: ac demum Con-
 fessarium prudenter concessisse absolutionem. [†] Quæ omnia la-
 tè defendit quidam Anonimus in Vindicijs Gobatianis, adver-
 sus Censuram Ill^m Arrebatensis Episcopi, propositione 3. et
 4. Nam pro comperto habet, quod inter Lutheranos, in Ger-
 mania multi admodum sint hæretici solum materiales,
 qui sicut re verà spectant ad Ecclesiam Catholicam, cui per
 baptismum initiati sunt, ita sunt capaces Sacramenti pe-
 nitentiæ: et cum habeant fidem Dei remuneratoris, et SS^me
 Trinitatis, et Christi Dni, ac Redemptoris nostri, non est cur
 pariter habere non possint veros et supernaturales actus
 Spei, Charitatis, et Contritionis. Talem vero fuisse Luthera-
 num

+ Ap^{te}

num illum, de quo in presenti casu, argumento esse posse, tum
vitam eius bene moratam: tum etiam, quia idem iam in
ipso aeternitatis aditu constitutus, ideo tantum in Lutheri
Sectâ permanere se professus est, quod veram illam existima-
ret. Hac ille. Ex quibus planè deducitur neminem ha-
reticorum, aut Infidelium, qui suam haeresim, et falsam
Religionem veram esse putat, esse formaliter haereticum,
aut infidelem, sed irreprehensibilem, et inculpabilem per hoc
practice, quod ita sit animo affectus, ut errores suos desere-
ret, si errores esse cognosceret.

Hanc ergo opinionem, quae magis,
et magis in dies propagatur, firmissimè censeo, non ampli-
us tolerari debere in Ecclesiâ Dei, sed quamprimum prohiberi
ac damnari ab Apostolicâ Sede, tanquam erroneam
et haeticam, et Catholicae fidei summe incuriosam, et ani-
marum salutî perniciosissimam. Hic enim est fidelium
omnium sensus, extra Ecclesiam Catholicam tam salva-
ri neminem, quam in diluvio extra Arcam evasit nemo.
Ap^{te} Hac semper fuit Ecclesiae fides, et omnium Patrum indu-
bitata doctrina. Unde S. Fulgentius communis fidei
Regulas tradens Lib. de fide ad Petrum Diaconum cap.
38. Firmissimè, ait, tene, et nullatenus dubites, non
solum omnes Paganos, sed etiam omnes Iudaeos haereticos,
atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam pre-
sentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros, qui pa-
ratus est Diabolo, et Angelis eius. Et cap. 49. Firmissimè
tene, et nullatenus dubites, quemlibet haereticum sive
Schismaticum, in nomine Patris, et Filij, et Spiritus
Sancti baptizatum, si Ecclesia Catholica non fuerit apre-
gatus, quantascunque elemosinas fecerit, et si pro Chris-
ti Nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse
salvari. Omni enim homini, qui Ecclesia Catholica
non tenet unitatem, neque baptismus, neque elemo-
syna qualibet copiosa, neque mors pro Christi nomine
suscepta

suscepta, proficere poterit ad salutem, quandiu in eo haeretica
vel schismatica pravitas, perseverat, quae dicit ad mortem.

Quam
sententiam Summus etiam Pontifex (supremus, et indefec-
tibilis in fidei ac morum doctrinā Iudex) Gregorius IX. tit.
de haereticis cap. firmissime, publico Decreto sic sancit. Firmissi-
simè tene, et nullatenus dubites, omnem haeticum, vel
schismaticum cum Diabolo et Angelis eius, aeterni ignis in-
condio participandum: nisi ante finem vitae, Catholica
fuerit incorporatus, et reintegratus Ecclesiae. Item omni ho-
mini qui Ecclesiae Catholicae non tenet unitatem, neque bap-
tismus, neque elemosyna quantumlibet copiosa, neque mors
pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem.

Denique
id ipsum definitum est in Concilio Lateranensi, et habetur
in cap. firmiter. De summa Trinitate, et fide Catholica,
his verbis: Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra
quam nullus omninò salvatur. Celebris etiam est illa Cy-
priani, et Augustini sententia, neminem posse habere Deum
Patrem, qui Ecclesiam non habet ut Matrem.

Novissima autem
quorundam Theologorum opinio, aut imaginatio supra re-
lata, ex alio eorundem errore, et falsa suppositione oritur,
quae scilicet supponunt nullum esse peccatum haeresis, ni-
si directè voluntarium, et immediatè in se ipso cognitum,
et volitum, in quo maxime decipiuntur, et errant. Quia
cum proprium, et formale peccatum haeresis in ipso errore
intellectus consistat, solummodo potest esse indirectè, et in
causà voluntarium, non verò proximè, ac directè in se ipsa
cognitum, et volitum. Nemo enim scienter fallitur, ut
est evidentissimum, neque ullus errat advertens, et agnos-
cens se errare; nam qui agnoscit se errare, iam eo ipso
deponit errorem. Nullus ergo haeticus actu putat se
peccare prestando assensum haeresi, ac dissentiendo fidei

Catholica Romana. Quippe omnis habens actum here-
sis fallitur, et decipitur. Sed nemo fallitur ac decipitur sci-
ens, ac prudens, nec putat se falli, ac decipi; nam multas (ait
Augustinus Lib. 1a. Confess. cap. 13) expertus sum, qui falle-
re vellent, qui autem falli, neminem. Sic ergo putat omnis
haereticus, se non decipi, ac falli, sed verum credere. Id quod
de haereticis omnibus, satis acute, et vivide expressit inter alios
Malderus Episcopus Antuerpiensis in 2^a 2^a quast. 11. art. 2.
in fine, his verbis. Cum haeresis sit error, nemo potest esse
haereticus, qui fateatur, aut indicet se esse haereticum. Si
enim indicet, esse errorem, quem tenet, iam desinit eum te-
nere. Oportet ergo, qui haereticus est, ignoret se errare, alio-
quin non erraret: quia agnitus error non constituit erran-
tem.

Vanum igitur est existimare Lutheranium moribun-
dum, de quo supra, non formaliter, sed pure materialiter
haereticum esse, per hoc precise, quod serio respondeat, se idem
in Religione Lutherana permanere, ac mori velle, quia eam
veram indicat: et si falsam putaret, illico eam desereret.
Quia nullus omnino haereticus etiam pertinacissimus
est, qui non sit ita animo affectus, ut errores suos desereret,
si errares esse cognosceret, nam appositum est implicatori-
um; siquidem hoc ipso formaliter errare et haereticus
esse desineret, quod suam sectam falsam putaret. Et Ca-
tholicam Religionem amplecti, nihil est aliud, quam eam
solam veram, et necessariam ad salutem agnoscere; nec
enim modo agimus de externa Confessione, aut professio-
ne fidei, sed de fide ipsa, et interiori mentis assensu.
Itaque illa conditionalis nihil ponit in esse: nec probat,
illum non esse de facto haereticum, qui de facto abiit Lu-
theranam haesim, et statuit in ea decedere, ac mori;
sed solum probat, quod non esset talis, si cognito suo erro-
re, Ecclesia Romana fidem amplecteretur: sicut e con-
trario nullus est Catholicus, de quo vere dici non possit
quod

quod Catholicus esse desineret, et Iudeus, aut Mahometanus existeret per hoc praeire, quod Iudeorum, aut Mahometanorum Religionem veram esse, et Catholicam falsam existimaret, ac crederet. Sed propter hanc conditionalem non desinit esse vere Catholicus.

Præclare Salvianus

Lib. 5. de providentiâ, disserens de Arrianis, exponit, quomodo illi intus et in corde affecti essent. Nobis, inquit, heretici sunt, sibi non sunt. Errant; sed honorare se Deum, atque amare credentes. Traditio eis Magistrorum suorum, et doctrina inveterata, quasi Lex est, quâ hoc sciunt, quod docentur. Heretici ergo sunt, sed non scientes. Nam in tantum se Catholicos iudicant, ut nos ipsos titulo hereticae appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc et nos illis. Nos eos iniuriam divinæ generationi facere certi sumus, quod minorem Patre filium dicant: illi nos iniuriosos Patri existimant, quia æqualem esse præsumimus. Honor Dei apud nos est: sed illi hoc arbitrantur honorem Dei esse, quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum Religionis officium. Impij sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Atque hoc plane modo errantes omnes, sive heretici, sive infideles corde affecti sunt. Sic Calvinista conculcans Sacras Imagines, et contemnens Venerabile Eucharistia Sacramentum, non se hereticum, aut sacrilegum habet: nos potius sacrilegos, et Idololatrias, et impios existimat. Eutichiani nihil firmiter habebant, quam Catholicos esse Nestorianos, et divisores Christi. Pelagiani putabant nos liberum arbitrium subvertere. Et sic de omnibus alijs hereticis verissimum est, quod Salvianus de Arrianis disseverbat.

Scimus equidem ad heresim formalem non quolibet errorem sufficere, sed pertinaciam requiri. Sic enim heresis definitur, error pertinax fidei contrarius. Sed in hoc maxime supradicti Recentiores hallucinantur, quod ad eiusmodi pertinaciam supponunt necessarium esse, ut agnito etiam

errore velit quis se in illo obfirmare, eumque obstinatè tueri: quod tamen ex dictis constat esse falsum. Nam pertinacia ad heresim requisita, ut omnes Theologi statuunt, et uno verbo explicat Card. l^{is} Tiletus Lib. 4. Summa. Cap. 2. consistit in eo, quod quis sciat illud quod affirmat et sentit esse contra Ecclesiam, sive contrarium ei, quod tenet Ecclesia ut de fide. Unde si quis erret in ijs qua fidei sunt, quia nescit esse contra Ecclesiam, paratusque est credere quod credit Ecclesia, non est hereticus. Ceterum, ut Theologi etiam passim advertunt, ad pertinaciam heresis propriam non requiritur, ut quis iudicet illud esse falsum, quod à verâ Christi Ecclesiâ credendum proponitur; sic enim nullus, aut vix ullus esset verè hereticus, nam communiter omnes putant Ecclesiam à quâ discedunt, et cuius auctoritatem ipsi contemnunt, non esse veram Christi Ecclesiam, neque regulam fidei infallibilem, alii qui iam agnosceret se errare, et consequenter non errarent: sufficit ergo scire, eam doctrinam, quam negant, doceri ab eâ Ecclesiâ, quam tenentur scire esse veram Ecclesiam, et infallibilem fidei regulam, cui omnes Christi fideles parere debeant, qua scilicet sola est Ecclesia Catholica Romana.

Sexta propositio.

Idem heretici in suâ heresi permanentes, si forte in alijs rebus contra propriam Conscientiam peccent, cum aliunde supponantur credere in Christum, facile possunt actum veræ Contritionis habere, atque ita salvari.

In hac propositione novus error est seorsim et in specie ab Apostolicâ Sede damnandus. Quia manifestè supponit, aut asserit sine verâ fide dari posse veram charitatem, per quam homo fiat Deus gratus et iustus. Unde infertur, eodem illos supradicta sententia Authores, qui non solum possibile, sed facile esse dicunt, ut heretici in suâ heresi permanentes, ac-

actum verè contritionis exerceant, enormiter etiam in hâc parte decipi et errare. Quia hoc est dicere, sine verâ fide dari posse veram charitatem per quam homo fit Deo gratus, et amicus et iustus: quod est contrâ illud Apostoli: sine fide impossibile est placere Deo. Et contra Trident. Sess. 6. cap. 6. Sibi expresse docet: quod sine fide nulli unquam contigit iustificatio. Et cap. 8. fides est humana salutis initium, et radix omnis iustificationis, sine quâ impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire.

Certè si aliquando cum heresi posset consistere vera charitas, et salus æterna obtineri, maxime in casu, in quo aliquis pro Christi nomine mortem oppeteret. At neque in isto casu potest, ut constat ex cap. firmissime de hereticis. ibi: omni homini, qui Ecclesia Catholica non tenet unitatem, nec baptismus, nec elemosyna, quantumvis copiosa, nec mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem.

Hinc sapientissimè Bellarminus Lib. 3. de iustificatione cap. 8. deducit, neminem esse posse certo conscium de suâ iustitiâ. Quia nulla, inquit, sunt clariora signa veræ conversionis, et gratia iam adeptæ, quam opera charitatis, et præsertim si quis animam pro Deo pinat; et hoc ipsum potest esse signum fallax, cum Apostolus dicat 1.º ad Corinth. 13. posse hominem sine verâ Charitate Dei consumere in cibos pauperum omnes omnes facultates suas, et tradere corpus suum ita ut ardeat. Et re ipsâ interdum videmus hereticos pro defensione perfidia sua mortem libenter oppetere, qui se Deum ardentissimè amare non dubitant, cum famen nec micam quidem veræ charitatis habeant.

Quod verò ipdem Authores ulterius supponunt, videlicet, Lutheranos, verâ fide supernaturali, ac divina credere articulos fidei Catholice, et Mystera S.ºe Trinitatis, et Incarnationis Filij Dei, novus pariter error est. Quia Lutherani neque ullum verum articulum fidei verâ fide credunt: siquidem illi non inhaerent doctrina Ecclesia Catholica

tanquam soli, et unica regula infallibili, ut clarè demonstrat D. Thomas 2.^a 2.^e quest. 5. art. 3. Nam qui inheret doctrinæ Ecclesie, tanquam infallibili regule, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet, alioquin si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, et quæ non vult non tenet, non iam inheret doctrinæ Ecclesie sicut infallibili regule, sed propria voluntati. Hæreticus videtur quidem sibi articulos illos, quos non respuit, propter solam Dei auctoritatem credere; sed mentitur iniquitas sibi; si enim propter solam Dei revelantis auctoritatem crederet, totum crederet, quod Ecclesia tanquam à Deo revelatum proponit, cum sola ipsa sit certa et infallibilis verbi divini Interpres. Undè qui facit Ecclesiam in aliquo articulo, subiectam errori et mendacem, de cæteris omnibus incertus redditur, et totam fidem divinam perdit. Sublato enim fidei divine fundamento, totam fidem ruere necesse est, et solam opinionem vel fidem humanam errori obnoxiam, quæ reliqua credat, remanere.

Propter eandem causam, inane commentum est, quod nonnulli aiunt, Iudeos, et Mahumetanos posse in suâ Religione salvari, quia et illi credunt in Deum remuneratorem, et ex hac fide possunt diligere Deum super omnia. Licet enim Turcæ credant unum Deum Cœli, terræque conditorem, et bonorum, ac malorum operum remuneratorem: ea tamen fides, nec supernaturalis, nec divina, nec à Spiritu Sancto est, sed à iudicio ipsorum privato, vel potius à Diabolo. Non enim ita credunt, quia Deus id per aliquem verum Prophetam hominibus proposuit; sed quia Mahumetus, quem Dei prophetam, et organum fuisse in docendis mortalibus putant, in suo Alcorano ita tradidit. Itaque et si illud, quod credunt, verum sit: tamen quia fundamentum, et tota ratio credendi falsa est, et pestilens, nimirum Mahumetum esse Dei prophetam, fides ipsa, quæ credunt, fallax est, et in omnes pestiferos illius Sectæ errores mentem inclinans, et necessario impellens. Quomodo ergo dici potest illam fidem sufficere ipsis ad salutem, aut eos ex hac fide salvari posse? Quomodo id, quod tam fallax et mendax ac pestiferum

16
rum est, potest esse fundamentum iustitiae coram Deo, et salutis consequenda. Similiter Iudaei, et si eadem, et plura credant veritati consentanea; tamen fides, quae illa credunt, fallax est, et à Spiritu Dei aliena. Tota enim ratio credendi est, quia illorum Rabbinis, et Sinagoga Doctores ita Scripturas interpretantur; quae ratio fallax est, nec minus noxia, quam illa Turcarum. Quia non minus falsum, aut minus noxium est credere Rabbinos ad interpretationem Scripturarum esse Spiritu Dei praeditos, quam Mahometum esse Dei prophetam, nec ad minus absurda ex vi illius principij credenda impelluntur.

Huiusmodi autem, et non melioris conditionis est fides illa, quae haeretici Lutherani, et Calvinista credunt aliquos fidei articulos. Non enim in illis datur vera fides, quae sit donum divinitus infusum, sed humana persuasio privato iudicio concepta, humana auctoritate subnixta, et fallacissimo fundamento substructa. Credunt enim vel propter auctoritatem Lutheri, et Calvini, quos viros Apostolicos arbitrantur; vel quia singuli proprio iudicio, aut privato instinctu, quem putant esse divinum, haec, aut illa in Scripturis contineri indicant, quae est ratio credendi fallax, et illusoria. Ergo tota eorum fides, etiam si aliqua vera credant, fallax est, quia fallaci nititur fundamento. Ergo non potest sufficere ad salutem. Quomodo enim id, quod fallax, et mendax est, potest esse basis, et fundamentum salutis aeternae, et sperandarum substantia rerum?

Unde tandem concludo supradictam 5.^{am} propositionem, ut iam dixi, non amplius tolerari debere in Ecclesia Dei, sed quamprimum prohiberi ac damnari ab Apostolica Sede, tanquam erroneam, et haeticam, ac fidei nostrae valde iniuriosam, et animarum saluti perniciosissimam. Nocet enim maxime, tum haeticis ipsis, tum etiam Catholicis, qui falsa pietatis specie decepti, ceperunt haeticis, et Infidelibus secundum suam Sectam, et iuxta suos errores operantibus, veram iustitiam, et aeternam salutem polliceri. Nam haetici audita hac nova Catholicorum sententia in sua haesi

confirmantur: et nemo iam poterit ad eorum conversionem argumentis illo uti, quo tandem convictus invictissimus Henricus IV. Gallia Rex ab heresi Calviniana reversus est ad Catholicam fidem; sic enim ratiocinatus est: ex communi Calvinistarum, et Catholicorum sententia, in Religione Catholica salvus esse possum: in Religione Calviniana ex Calvinistarum quidem sententia salvus esse possum, ex Catholicorum vero mente, nequaquam. Ergo praeferranda est Religio ex omnium consensu tuta, Religionem secundum aliquos tuta, secundum alias non tuta. Quae ratiocinatio sapientissima et prudentissima, usque adeo efficax, et convincens visa omnibus est, ut cum Calviniani non possent adversus illam se tueri, ceperint negare quod antea fatebantur, nimirum tutam esse Religionem Catholicam, eiusque sectatores posse salvari. E contra vero Catholici quidam Scriptores, haereticos etiam in sua heresi viventes, et morientes, salutem aeternam consequi posse, dicunt; quod dolor, et pudor est, et gravissima Catholicae Religionis iniuria.

Item ad missam eiusmodi falsam doctrinam, dubitari iam ~~non~~ poterit, sit ne melius haereticos et Infideles in errore suo, et ignorantia relinqueret, quam de ipsorum conversione tractare. Deinde sicut Bernardus sapienter dicebat: is forsitan, qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantibus deprecetur, sed potius Prophetam irrideat &c. Similiter nec pro haereticis, caeterisque errantibus oraverit, neque etiam de illis scripto aut voce erudiendis, atque in viam reducendis multum laboraverit qui credit eos posse in sua heresi, et infidelitate salvari. Unde refrigescet Charitas eorum qui per infinita pericula, mortesque ipsas, ituri sunt ad annuntiandum Infidelibus Evangelium. At Sancta Ecclesia erat, ingemiscit, et parturit usque adhuc: et pro conversione haereticorum omnium, et infidelium Orationes publicas fundit feria 6. in Parasceve: ac pro haereticis, et Schismaticis in specie orat. ut Deus et Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, et ad Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam, et Apostolicam revocare dignetur: et respiciat ad animas Diabolica fraude deceptas, ut omnium
haereticorum

12

hereticâ pravitate depositâ, errantium corda resipiscant, et ad
veritatis redeant unitatem. Supponit enim hos, pro quibus orat,
perire, et extrâ Ecclesiam esse, et eius unitatem; nam ideo pro
eis orat, ut patet, et expressè etiam dicit: Omnipotens Sempiter-
ne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad ani-
mas Diabolicâ fraude deceptas &c. Quisquis ergo ab hoc sensu et
spiritu Ecclesie falsâ quâdam pietate dissentit, hereticis nihil
prodest, sibi autem et illis maximè nocet.

Denique. Si quis sibi per-
suadeat extrâ Ecclesiam Catholicam Romanam posse quemquam
iustificari, et salvari, hoc ipso minis quam par est astimabit
magnum illud, et inestimabile beneficium, quod fidelis, et credens,
et filius Ecclesie Catholice sit: nec vllas fortè gratias Deo agat pro
tantâ gratiâ aut saltem non agendas existimabit tanquam pro
re sibi necessariâ ad salutem; siquidem supponit, se inter Luthe-
ranos etiam aut Turcas salvari potuisse. Quin etiam fortè dubi-
tabit, an sibi melius fuisset Turcam nasci, et esse, quam in me-
dio Ecclesie Catholice natum fuisse; cum facilius sibi esset Ma-
humentis Legem servare, quam Legem Christi adimplere: et ig-
norantia et error dicatur infallibiliter preservare a peccato, quod
tamen non habet ipsa Christi gratia, quia licet hæc det nobis vires
sufficientissimas ad vitanda peccata, possumus tamen ei resistere,
et eâ stante peccare. Absit autem ab homine Christiano et Catho-
lico tam impia, et insana cogitatio, ut non solum credat hereti-
cos in suâ heresi morientes posse salvari, sed etiam quod heresis,
et error Mahumeti faciliorem reddat salutem, quam fides ipsa
vera et Religio. Certè non amplius tolerandum esse videtur ab
Apostolica Sede, ut Catholice nostre fidei hoc dedecus inferatur.

Septima propositio

Lutherani, et Calvinista de populo non sunt in foro
interno excommunicati, sed solum in foro externo.

Hanc propositionem consentaneè ad suam doctrinam tradunt illi
omnes qui Lutheranos, et Calvinistas in suâ heresi educatos censent

materialiter tantum esse haereticos, formaliter autem esse Catholico-
cos, et Ecclesia Catholica filios; nam consequenter aiunt eos san-
ctum in foro externo excommunicari, quia presumuntur haeretici;
sed tamen in foro interno non debere censerī excommunicatos, quia
invincibiliter errant, ac proinde excusantur à crimine haereticis, et
à pœnis eius.

Debet ergo hæc propositio simul cum præcedenti et eodem
iure prohiberi, ac damnari tanquam falsa, scandalosa, et erronea,
ut posse consuetudini Ecclesie aperte contraria, et eiusdem Supre-
mæ authoritatis contemptiva. Nam consuetudini, et praxi Eccle-
siae standum omninò est tanquam regula infallibili, non minus
quam eius doctrinæ, ac sensui, (ut præclare docet S. Thomas 2.^æ
quæst. 10. art. 12.) Agit ibi Sanctus Doctor de re sane maximâ,
utrum scilicet pueri Iudæorum, et aliorum Infidelium sint invi-
tis parentibus baptizandi? Quæ in re, pietas ipsa et misericor-
dia, ac zelus salutis puerorum plurima argumenta ministrat
pro parte affirmativâ: quibus tamen propositis, quæstionem
ita resolvit. Respondet dicendum quod maximam authorita-
tem habet consuetudo Ecclesie, quæ semper est in omnibus am-
planda; quia et ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccle-
siae authoritatem habet. Unde magis standum est authorita-
ti Ecclesie, quam authoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuius-
cumque Doctoris. Hoc autem Ecclesia nusquam habuit,
quod Iudæorum filij, invitis parentibus baptizarentur. Ecce ip-
sur quanta authoritatis apud omnes esse debeat praxis Ecclesie,
scilicet tante, ut omnes rationes, et authoritates subijciendæ illi
sint, et posthabendæ.

At in re presentī consuetudo notaria, et praxis
Ecclesie est, ut populos integros Haereticorum etiam rudes ipsos et
illitteratos, simplices, et idiotas, propter errores et haeresim quam
sequuntur à se abscindat, et excommunicatos declaret: redeuntes
verò haereticos ab excommunicatione absolvat; nec tamen omni-
bus potestatem eos absolvendi committit, sed sibi ac suis Delegatis
haeretica pravitatis Inquisitoribus reservatam habet. Censet ergo
Ecclesia

Ecclesia eos omnes propter suos errores, esse peccati ac heresis reos, quia excommunicatio in hereticos lata non nisi per peccatum incurritur, ut patet.

Dicere autem eos non re vera, et in foro conscientie excommunicatos esse, sed solum pro foro externo: quam distinctionem aliqui in promptu habent ad omnia) in hac re improbabile omnino, ac presumptuosum, et temerarium est. Nam hoc ipsum est dicere quod Ecclesia in suo iudicio errat. Quippe ut est concursus Theologorum omnium sententia, quando idem omnino factum in utroque foro, et eodem modo constat, neque ulla est ignorantia, aut falsa presumptio in foro externo, utrumque forum concordat. In isto autem casu dici non potest quod in foro interno aliquid Theologo, aut Confessario constet, quod non pariter constet toti Ecclesie. Tu magnus Theologus novisti populos hereticorum, qui ab infantia nutriti sunt in suis heresibus esse simplices, rudes, et ineptos, ideoque absolute pronuncias esse culpe, et excommunicationis immunes, quia cum semper Doctores suos et Ministros contra Ecclesiam Romanam exclamantes audierint, vitio illis verti non potest, si vivis apud eos gravissimis, fidem dederint. Sed an Ecclesia non constat pariter ignorantia, et simplicitas et ineptitudo eorum, et quod illi ab infantia sint in suis heresibus nutriti? An forte Ecclesia presumit eos omnes esse intelligentissimos? Non ita est: eadem ignorantia, eadem simplicitas, et ineptitudo, et educatio, pariter Ecclesia constat, et tibi. Tu propter eam causam, et ab heresi, et ab excommunicatione, et omni culpa eos liberas, et ignorantiam, et errorem invincibilem dicis. Ecclesia, et culpam, et heresim, et excommunicationem supponit. Vide nunc igitur an illa erret, an tu?

Certe ratio adducta in favorem hereticorum, eodem modo probat Iudeos, et Mahumetanos, imo etiam Gentiles excusandos pariter esse propter invincibilem ignorantiam, et errorem; nam et illa omnes in suis erroribus educati sunt. Audi, quid dicat Augustinus de puero inter Paganos educato, qui maiorum suorum fidem sequens Idola colit, et crimina

alia committit contra naturæ Legem. Casum proponit Enarr.
in psalm. 64. ad illa verba: sermones iniquorum prevaluerunt
super nos, et impietatibus nostris tu propiciaberis. Quid est, in-
quit, sermones iniquorum prevaluerunt super nos? Quod nati su-
mus in hac terrâ: iniquos invenimus, quos loquentes audivimus.
Omnis homo ubicumque nascitur, ipsius terræ, vel regionis, vel
Civitatis, linguam discit: illius imbuatur moribus, et vitâ. Quid
faceret puer natus inter Paganos, et non coleret lapidem, quando
illum cultum insinuarunt parentes? Inde prima verba audit, et
illum errorem cum lacte suxit: et quia illi, qui loquebantur, ma-
iores erant, et puer, qui loqui dicebat infans erat: unde pote-
rat parvulus, nisi maiorum authoritatem sequi, et id sibi bo-
num ducere, quod illi laudarent? En tota ratio, quâ Terentius
confidentissime excusat à peccato heresis, non solum pueros, et
puellas, sed adultos, et integros hereticorum populos; quia nimi-
rum in heresi educati sunt, et veram esse credunt suam Sectam,
propter authoritatem eorum, quos ipsi tanquam prudentis-
simos habent. Sed nihilominus puerum illum non esse à
culpâ immunem, pro certo supponit, et tradit ibidem S. Au-
gustinus, cum vult, et ipsum, et alios qui maiorum suorum
authoritate, et imitatione seducti crimina perpetraverunt, ad
Christum convertos de impietatibus suis veniam deprecari:
et explicat fuisse illa verba, et impietatibus nostris tu propi-
ciaberis.

Error igitur est à peccato heresis excusare velle Lutheranos,
et Calvinistas, aut cuiuscumque nominis hereticos prop-
ter invincibilitatem erroris: cum fuerit à principio, et semper
sit indubitata totius Ecclesiæ doctrina, non minus hereticos, qui
extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, quam
Iudeos, et Paganos in ignem æternum ituros, qui paratus est
Diabolo, et Angelis eius. Turpior autem error, et manifestum
mendacium est dicere, Lutheranos, et Calvinistas omnes de plebe,
materialiter solum hereticos, formaliter esse Catholicos, et Eccle-
sia Catholica filios. Hoc enim irrisorium est etiam ipsis here-
ticis

hereticis; videbunt enim illi, et subsanabunt nos, si dicamus eos esse formalitèr filios illius Ecclesie, quam ipsi nullo modo agnoscunt, nec agnoscere volunt ut suam matrem, sed potius abominantur ut Sinagogam Sathanae. Est insuper valde iniuriosum ipsi Ecclesie, quae columna est, et firmamentum veritatis, existimare, quod nesciat eos esse filios suos, et gravitèr erret excommunicando eos propter haesim.

Tandem verò turpissimus error est, dicere hereticorum populos non re verà, et coram Deo, et pro foro conscientiae, sed duntaxat pro foro externo censendos esse excommunicatos. Nam potius illi omnes prius sunt re verà et coram Deo per se ipsos excommunicati, quam ab Ecclesia excommunicentur. Ideo enim Apostolus ad Titium 3. sic ait, hereticum hominem post unam vel alteram correptionem devita: sciens quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Non iuberet autem Episcopus, ut hereticum omnem vitaret si esset intra Ecclesiam (ut rectè Bellarminus advertit Lib. 3. de Ecclesia militante cap. 4.) debet enim Pastor non vitare, sed curare eos, qui ad suam parochiam pertinent. Rationem autem reddit Apostolus, quia hæreticus est proprio iudicio condemnatus, id est (ut Hieronymus exponit) non est eiectus ab Ecclesia per excommunicationem, ut multi alij peccatores, sed ipse se ipsum ab Ecclesia eiect. Sic etiam Cornelius Alapide hoc loco explicat, quomodo hereticus sit proprio iudicio condemnatus, quia scilicet spontè, et pertinacitèr se ab omnibus fidelibus, et à tota Ecclesia separat, extra quam non est salus, sed certa damnatio; ita Hieronimus, Anselmus, et alij &c.

Dicunt Adversarij verum quidem esse Hæresiarchas et eos, qui à fide Catholica, quam semel amplexi sunt sponte recedunt, peccare gravissimè, et in statu damnationis esse, non vero eos, qui inter hereticos nati, et in suâ hæresi educati sunt, et bonâ fide ac sine vlllo scrupulo in ea religione vivunt, quam veram esse credunt. Contra enim est, quia Ecclesia Sancta idèo Hæresiarchas

Heresiarchas excommunicat, vel excommunicatos declarat, ne suis erroribus simplices alios fideles decipiant, et eorum animas perdant. Semper enim firmissimè tenuit eos omnes, sive doctos, sive indoctos, sive Episcopos, et Ecclesiarum Pastores, sive oves, sive Magistros, sive discipulos, qui ab Ecclesiâ dissentiunt, et extra eam vivunt, abs dubio perituros.

Quocirca S. Thomas Quodlib. 3.º art. 20. invictissimè probat, in his quæ pertinent ad fidem, et bonos mores, nullum excusari, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arrij, Nestorij, et aliorum Heresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam sequatur. Hæc Divus Thomas, qui certe ut erat bene conscius de perpetuo, et universali totius Ecclesiæ sensu, merito tanquam certum et indubitatum supponit, Sectatores Arrij, Nestorij, et aliorum Heresiarcharum non fuisse à peccato immunes propter simplicitatem; quia id ipsum tanquam primum principium Ecclesiæ, et Concilia supposuerunt: et propterea Arrium, Nestorium, et alios Heresiarchas excommunicaverunt, et ab Ecclesiâ eiecerunt, ne oves, id est, fideles decipiendo mactarent, et perderent. Quid hic tu Pastor acturus es qui Dominicum gregem pro lupis ipse discerpis? Clamabat Celsinus Pontifex in Epist. ad Nestorium. Alias, inquit, Dominus, habes oves, quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere; ille alias promittit adducere; tibi percutit quas habebas.

Similiter Leo Magnus agens de heresi Euthychiana in Epist. 1.ª ad Pulcheriam Augustam. Quia etiam ignorantia in graves incidit lapsus, et plerumque in Diaboli vultu caveas incauta simplicitas. Et Epist. 12. ad Theodosium Imperatorem. Quia verò diabolica nequitia fallit subtiliter incautos. Idcirco ne perirent oves, coacta est Synodus Calcedonensis, et damnatus Dioscorus, et improbata Secunda Synodus Ephesina. Innocentius 1. ad

P. Concil. Carthag. de Pelagio, et Celestio. Si enim diu fue-
rint in hac impunitate versati, necesse est multos in hanc
pravitatem mentis inducant, decipiantque Innocentes, vel
potius imprudentes, qui fidem Catholicam non sequantur.
Separatur ergo à sano corpore vulnus insanum, remotoque
morbi savientis afflatu, cautius quæ sunt sincera perdurent,
et grex purior ab hac mali peccoris contagione servetur.
 Idem Innocentius ad P. Concil. Milevit. post damnatum
 Pelagium, et Celestium. Absint atrijs Domini: caveant eis
odia Pastoralis; ne duarum ovium dira contagia serpent
forisitan per vulgus incautum, rapacique lupo corde late-
tur intra ovile Dominicum tantas ovium fusas catervas,
dum à custodibus dissimulantèr habetur vulnus duarum.
Respicendum est ergo, ne permittendo Lupos, Mercenarij
magis videamur esse quam Pastores.

Ac demum Sacrosancta
 Synodus Trident. Sess. 24. ante Canones de Matrimonio
 quod inter nova Legis Sacramenta annumerandum SS.
 P. Concilia, et universalis Ecclesia traditis, semper docue-
 runt: adversus quam, ait, impij homines huius sæculi
insanientes multa ab Ecclesia Catholica sensu, et ab Apo-
stolorum probata consuetudine aliena, scripto, et verbo
asseruerunt, non sine magna Christi fidelium iactura,
quorum temeritate Sancta et universalis Synodus cupiens
occurrere, insigniores predictorum Schismaticorum here-
ses, et errores, ne plures ad se trahat pernicioosa eorum con-
tagio, exterminandos duxit.

Sicut autem in Concil. Trident
 adversus Lutherum, Calvinum, et huiusmodi alios pronun-
 tiatum est anathema: sic etiam nunc singulis annis
 in die Cœnæ Domini, Pontifex Romanus solemniter ana-
 thematizat, quoscumque Lutheranos, Calvinistas. . . ac
omnes et singulos alios hæreticos quoscumque nomine
cenſeantur, et cuiuscumque Sectæ existant, ac eis credentes.

At Lutherani, et Calvinistæ, qui nunc sunt, vel omnes, vel fere omnes à parentibus hæreticis, et inter hæreticos nati, et educati sunt, nec alios quam suos Ministros de Religione discentes audierunt. Ergo nec isti excusantur à peccato hæresis ratione ignorantia invincibilis, nec materialitèr solum, sed formalitèr hæretici sunt, et in suâ hæresi pertinaces. Quippè et illi omnes optime norunt se ab Ecclesia Romanâ et Catholicâ dissentire, in quo pertinacia ad hæresim requisita consistit, quamvis non credant se in hoc ipso errare.

Itaque tolerari non debet ab Apostolicâ Sede illorum temeritas et audacia, qui hæreticorum populos, et rudes, ac simplices omnes à culpâ hæresis, et ab excommunicatione hæreticis inflictâ liberos esse decernunt in foro conscientiæ, et coram Deo; ac Lutheranos, et Calvinistas in suâ hæresi natos, et semper educatos, privatâ suâ auctoritate Ecclesie reconciliant, seu à peccatis citra reconciliationem absolvent: contra ipsius Ecclesie praxim, et consuetudinem quæ illos etiam omnes, nullo excepto, non nisi abiurâtâ prius hæresi in suum gremium admittit, et ab excommunicatione absolvit, et unitati Ecclesie, ac Sacramentis restituit.

Nec tolerari etiam debet, quod Terillus quest. 64. de Regulâ morum. n. 56. confidenter affirmat: nempe huiusmodi hæreticos in foro externo Ecclesie, non absolute, sed ad cautelam, et solum conditionate absolvi ab excommunicatione; et quoad hoc diversam rationem esse fori externi, et interni. Nam externum forum, inquit, ad hoc præcipue respicit, an homo vediens errore deceptus fuerit? Et an se iam Ecclesie subijcere velit? Si errorem fateatur, et emendationem spondeat, reconciliatur, illique absolutio à Censuris datur, saltem ad cautelam. Nec mirum; quia quamvis ille dicat, se bona fide processisse, et in nullo unquam dubitasse, aut scrupulum habuisse, an suis dogmatibus
fidem

fidem dando peccaret, non tamen plenam probationem facit, nec ei sine dubitatione creditur, ideoque iustum est, ut Ecclesia in foro externo ad cautelam saltem eum absolvat. At in foro interno sola penitentis assertio plenam fidem facit. Unde cum ea plene probentur in foro interno (quasi plene probarentur, et certo constarent in foro externo, Ecclesia absolutionem non adhiberet, nisi ad summum conditionate) utique sequitur, peritos Confessarios aliquando videre hominem reconciliandum invincibiliter errasse, et absque pertinacia ad haeresim, et haereticorum penam contrahendam requisita errasse, et in errore permansisse, ideoque nihil mirum est, si aliquando huiusmodi a peccatis absolvant, etsi eum ab excommunicatione, si eam propter haeresim contraxisset, absolvere nequeant.

Id, inquam, tolerari non debet. Quia cum Ecclesia, et Concilia, et Summi Pontifices, absque ulla dubitatione censuerint, eos omnes, etiam vides, ac simplices, qui ab Haereticis seducti, eorum sectas et haereses sequuntur, a vera, et una et sancta Ecclesia Catholica separantur, hoc ipso perdi et perire; erroneum et haereticum est, dicere eos ab omni culpa immunes, et in statu salutis esse per hoc solum, quod decepti fuerint, et innocentiter errare, praecise quia errant. Novum et hactenus inauditum est quod cum Ecclesia Catholica redeuntes haereticos in suum gremium recipit, dicatur eos ab excommunicatione absolvere, non absolute, sed solum conditionate, et ad cautelam.

Denique assertio ista errorem illum supponit, omnibus Scripturis divinis manifeste contrarium, de quo in praecedenti 4. et 5. propositione actum est, scilicet nullum esse peccatum quod non sit contra conscientiam, et neminem peccare posse per ignorantiam et errorem, nisi aliquomodo advertat se peccare.

Octava propositio.

Mendacia, et periuria, quæ per ignorantiam et erro-
rem existimantur esse à Deo iussa, non solum omni
peccato carent, sed positive bona, et meritoria sunt
apud Deum: et sic etiam qualibet hæresis, vel
falsa Religio, quæ vera et bona esse, ac Deo
placere creditur, pariter est re ipsa
Deo grata, Deumque ipsum
Authorem habet.

Hanc propositionem docet expressè Terillus consequenter ad
primam et secundam supra relatam, eamque demò instau-
rat quest. 3.^a de Regula morum. n. 64. Vbi contra Celladeum
statuit, mala invencibiliter credita bona. V.g. mendacia,
et periuria, eorumque voluntatem esse à Deo ut Authore, non
per se, et ex primariâ intentione, sed secundario, et per acci-
dens. Imò et confidenter affirmat, stante suppositione er-
roris invincibilis, quo illa creduntur esse à Deo præcepta,
usque ad eò non esse absurdum, quod sint à Deo Authore, ut
hoc sine intoleranda absurditate negari non possit. Quod
probat; quia Iudex, Deo Authore, condemnat innocen-
tem legitime convictum, quando nullum adest indicium
innocentiæ. Quomodo enim Deo Authore non fiat, quod
Deus fieri iubet? At certum est, Deum, stante eiusmodi
errore invincibili, præcipere condemnationem innocentis,
et nisi à Iudice condemnetur, mortem animæ, suæque
amicitiæ iacturam minari. Illa ergo condemnatio inno-
centis in talibus circumstantijs, Deum habet Authorem;
et idem valet de omni aliâ voluntate, et actione, quæ
conscientiæ invincibiliter erranti conformatur. Sic Deus
ex suppositione peccati, verè dicitur et est Author mortis,
et damnationis æternæ, non absolute, et per se, vel ex pri-
maria intentione, sed consequenter et secundario ac per
accidens.

Eandem

29
Eandem propositionem novissimè tradit P.
Christophorus Lassler in suo Opere inscripto, Norma Recti
discp. 1. quest. 7. ubi præter divinam Legem primariam, sive
directam, et ante cedentem, ac per se talem, assignat aliam
secundariam reflexam, et consequentem, et per accidens ta-
lem, quã mendacium, periurium, adulterium, et quavis alia
flagitia fieri iubeat ex suppositione invincibilis ignorantia,
et erroris, quo ista credantur esse à Deo iussa. Et putat, hanc
distinctionem divina Legis, desumptam esse ex celebri illâ
distinctione voluntatis divina, antecedentis, et consequen-
tis, sive primario, et secundario à Damasceno et Chrisos-
tomo traditã, et à Theologis acceptã; vel ex illâ, et ad eius
similitudinem, facile intelligi et explicari posse, quomodo
illud idem, quod est æternã Dei Lege per se et antecedenter
prohibitum, possit consequenter et per accidens esse à Deo
volitum et præceptum.

Cæterum hæc propositio, et doctrina dete-
rior adhuc est et potiori iure damnanda, quam omnes
præcedentes. Illa enim solummodo exprimunt ea omnia,
quæ ex ignorantia et errore sunt contra divinam Legem,
excusari à peccato. Hæc vero propositio non solum facit
scelera omnia excusabilia, sed positivè sancta, et Cælo dig-
na: nec solum tollit necessitatem vere Religionis et fi-
dei, sed derogat Sanctitati ac veracitati divinae, tollitque
infallibilem Catholicæ fidei nostræ certitudinem. Ponit
enim in primis veram Religionis ignorantiam invincî-
bilem dari posse, et errorem invincibilem singularium
hæresum, et infidelitatum Mahumetismi, Gentilismi &c.
Statuit deinde omnia illa mala, quæ ex ignorantia in-
vincibili existimantur bona, hoc ipso reddi vere bona, et
honestæ, et posse etiam esse Supernaturalia, et æterna
vitæ meritória. Hoc autem posito, necessario sequitur,
et spontè ab Authoribus istis conceditur, omnia illa
referri debere in Deum ut authorem; quippè omnis ope-
ratio

ratio recta, et omnis bona voluntas aeterno premio digna,
à Deo Authore procedit, et quae nostra sunt merita, sunt
eius dona.

Equis autem non videat, totum id esse Sum-
mae Sanctitatis divinae iniuriosum, nempe scelera omnia,
mendacia, periuria, adulteria, singulas etiam haereses,
inimicet ipsum Iudaismum, et Mahumetismum posse in
Deum referri, et de facto in multis fuisse et esse à Deo, ut
Authore? Quis dicat haec omnia ex quacumque igno-
rantia et errore proficiscantur, non esse opera tenebra-
rum, sed donum Dei descendens à Patre Luminum?

Neque
huius doctrine horrorem villo modo Terillus abstergit
aut minuit adhibita illa distinctione sua, quod Deus
non absolute et per se, aut ex primaria intentione ve-
lit mendacia, et periuria eorumque sit Author, sed so-
lum secundario, et per accidens ex suppositione invinci-
bilis ignorantiae, et erroris, et eodem modo, quo vult ma-
lum poenae, et damnationis aeternae ex suppositione
peccati. Est enim quoad hoc manifestum discrimen
inter mala poenae pure physica, et mala illa moralia,
quae ex se peccata sunt, nec per errorem quo falso exis-
timantur bona, desinunt esse intrinsece turpia, et inor-
dinata, et recte rationi ac divinae Legi contraria.

Verissi-
mum ergo est Deum ex suppositione peccati proprie,
ac directe velle mortem, et damnationem peccatoris, ita
ut in ipsa morte, et damnatione complacet: neque
enim dedecet, Deum iustum simul, et bonum compla-
cere in poenam peccatori debitam, quia Deo etiam Summe
bono placere debet, ut puniatur, qui poenam meretur.
Neque hoc potest villo modo dici inordinatum, et abso-
lute malum, nam potius est bonum, et ordinationissimum,
ac recte rationi, et Summae iustitiae regulis consenta-
neum.

neum. Unde est illa celebris Dionisij sententia: puniri non est malum sed fieri panam dignum: item illa S. Augustini, damnatus ibi est, et ita est, ubi esse, et quomodo esse, ordinatissimum est. Sed plane dedecet Deum sibi complacere in mendacio et periurio, in haeribus, in blasphemijs, et contumelijs Iudaeorum adversus Christum, etiam supposito intrinsecibili errore, quo existimentur ea non esse mala, sed bona; quia nullus unquam error efficere potest, ut non sint intrinsecè mala et inordinata, et adversentur bonitati, ac Sanctitati divinae quam Deus summè amat.

Atque hinc etiam patet ex distinctione illà voluntatis divinae antecedentis, et Consequentis, sive primariae, et secundariae, prout à Damasceno traditur, et à Divo Thomà, et Theologis accipitur, et explicatur, nullo modo probari, sed potius everti commentitiam hanc Dei Legem secundariam, et consequentem, quàm velit, ac iubeat ea mala fieri quae falso putamus esse ab illo precepta. Nam Damascenus ipse distinctionem illam, ad hoc unum dumtaxat à se traditam ut explicaret quomodo verum sit Deum velle omnes homines salvos fieri, cum constet multos esse, qui re ipsa non salvantur, sed pereunt: expresse advertit solum habere locum respectu earum rerum quae in nostram potestatem minime site sunt, non verò earum, quae in nostro arbitrio consistunt, et propria opera nostra sunt: ex ijs enim, inquit, ea quidem quae bona sunt, primariè vult, grataque habet Deus; mala verò, nec primariè, nec secundariè.

Similiter Divus Thomas in primum dist. 47. art. 4. Dicendum, inquit, quod preceptum est signum voluntatis divinae, respondens voluntati antecedenti, et non consequenti: unde quod est præter voluntatem consequentem, cadit sub precepto, non autem quod est præter voluntatem

antecedentem. Si autem nihil, quod est præter voluntatem Dei antecedentem cadit sub præcepto, multo adhuc minus sub illo cadet, quod est contra illam, Atque omne mendacium, omne periurium &c. est contra voluntatem Dei antecedentem: ergo nullum cadit sub præcepto: imò nullum datur præceptum pertinens ad voluntatem Dei consequentem, cum iuxta Sanctum Doctorem, omne præceptum sit signum voluntatis divine, respondens voluntati antecedenti. Itaque Lex consequens, quæ ex suppositione nostræ ignorantie et erroris, Deus velit, aut iubeat fieri ea, quæ per voluntatem primariam, et antecedentem damnat, et prohibet, fictitia omnino est, et valde aliena à mente Divi Thomæ.

Distinguit autem subtilissimè Angelicus Doctor ibidem, inter ea quæ dicuntur et sunt per se mala; et ait, quædam ex illis subtrahi posse de voluntate antecedenti, et cadere sub præcepto divino, et sic recipere rationem boni, ita ut voluntas in ea tendere debeat; quia solum dicunt deordinationem unius rei ad aliam, sicut homicidium. Unde si eis præter communem ordinem conferatur alius ordo in ultimum finem, solletur inordinatio, et remanebit actus ordinatus, subiacens voluntati antecedenti. Hoc autem non potest fieri nisi ab eo, qui ordinem illum posuit, et ideo ea quæ sunt ordinata per Legem divinam non sunt mutabilia, vel dispensabilia, nisi præcepto divino. Sic Deus occasionem Isaac, quæ de se inordinationem habebat, ordinatam fecit ponendo hunc ordinem, ut esset ad manifestationem fidei, et amoris Abrahe ut esset posteris in exemplum, et in significationem mortis Christi; atque in occasionem sic ordinatam divinâ auctoritate licitè consentit voluntas Abrahe. Quædam autem peccata sunt, quæ deordinationem ab ultimo fine dicunt immediate per se, ut peccata in Deum: qualia sunt odium Dei, non credere

Deo; ac desperare. Unde hæc non possunt cadere sub præcepto, aut dispensatione divinâ: quia cum tales actus sint deordina-
 tio ab ultimo fine, non possunt ad illum per ullum præcep-
 tum ordinari, aliâs essent simul et non essent ad eundem ordi-
 nati. Et propter hoc dicitur, quod contra præcepta prima tabu-
 læ, que ordinant immediate in Deum, Deus non potest dispen-
 sare: sed contra præcepta secunda tabula que ordinant imme-
 diatè ad proximum, Deus potest dispensare, non autem homi-
 nes in his dispensare possunt. Hæc ibi Sanctus Thomas.

Eandem doctrinam habet 1^a 2^a quest. 100. art. 8. et communissime tradunt Theologi, scilicet præcepta prima tabula, que ordi-
 nant hominem ad Deum esse omnino indispensabilia. In præceptis vero secunda tabula, que continent ordinem iusti-
 tiæ inter homines observanda, eatenus solum dispensari à Deo posse, quatenus potest ab eorum materia, sive objecto au-
 ferre rationem debiti. Stante vero adæquate, et omnino in-
 variatâ ipsorum materiâ, fieri nunquam posse, ut liceat ali-
 cui ea non servare. Quia ut Sanctus Doctor ibidem ad 2^{um} optime ait. Deus non potest se ipsum negare. Negaret autem se ipsum, si ordinem suæ iustitiæ auferret, cum ipse sit ipsa sua iustitiæ. Et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi-
 cendi iustitiæ eius, etiam in his secundum que homines ad invicem ordinantur.

Sed quia supradicti Authores Terillus, et Casler in exemplum eorum, que cum sint intrinsecè mala per invincibilem errorem conscientia possunt fieri bona et honesta, passim afferunt mendacium, et periurium: audien-
 dus est de hæc re Augustinus Lib. de mendacio Cap. 21. Vbi disserens de illo qui per errorem putat se posse aliquando ex bono fine honeste mentiri, ita concludit: Quisquis autem esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arti-
 tretur

gretur aliorum. Et Lib. contra mendacium cap. 16. ita
subtiliter argumentatur. Nihil aliud iudicandus est di-
cere, qui dicit aliqua iusta esse mendacia, nisi aliqua
iusta esse peccata, ac per hoc aliqua iusta esse, quae in-
iusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Unde
enim est peccatum, nisi quia contrarium iustitiae est?
Ea vero, quae contra Legem Dei sunt, iusta esse non pos-
sunt. Dictum est autem Deo: Lex tua veritas. Ac
per hoc quod est contra veritatem, iustum esse non
potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse
omne mendacium? Nullum igitur iustum potest
esse mendacium. Haec ibi Augustinus.

Eodem modo Ber-
nardus Lib. de modo bene vivendi, serm. aut cap. 31. Nullum
inquit, iustum mendacium: omne mendacium in omni-
bus est peccatum: omne quod à veritate discordat, iniquitas
est. Repugnat ergo, ut mendacium possit unquam evadere
iustum, et honestum, etiam si homo per errorem invincibi-
lem iudicet in his, aut illis circumstantijs, aut ex bono ali-
quo fine esse licitum, aut à Deo præceptum. Nam si Deus
approbando hunc errorem, mendacium præciperet, hoc ipso ius-
titiae ordinem tolleret, ac proinde negaret se ipsum. Idemque
à fortiori dicendum est de periurio, quod insuper involvit hanc
malitiam, ut Deum faciat Authorem Mendacij, ideoque essen-
tialiter includit irreverentiam Dei repugnantem divinae
Authoritati; quã in re Deus non potest cedere iuri suo, nisi ne-
gando se ipsum.

Itaque si vera est Terilli sententia, manifestissime sequitur,
authoritatem Divinam non esse summã fide dignam, neque fidem nos-
tram esse omninò certam, et infallibilem. Primo. Quia ut optime ait
Suarez. tom. 1. de Legibus. Lib. 2. cap. 15. n. 5. Si Deus posset vlli unquam præ-
cipere mendacium, etiam posset ipse mendacium dicere, quod erroneum est.
Sic enim tota certitudo fidei periret. Quã ratione similiter probat Valen-
tia 1.^o 2.^a disp. 7. quast. 4. Deum nec de potentia absolutã posse unquam dispon-
sare

sare in mendacio, aut illud precipere. Quia si semel concedere
mus Deum absolute posse docere falsum, vel per se, vel per alium, du-
bitare liceret, num Deus ea potentia usus fuerit, quando fidei doc-
trinam hominibus tradidit; potuisset enim Apostolis, et Prophe-
tis precipere, ut homines deciperent: et sic eorum auctoritate
non teneremur adduci ad recipiendam fidei doctrinam, tanquam
certam, et infallibilem.

Confirmatur, et explicatur. Quia si Deus
 vere homini suadet et precipit mendacium et periurium, quan-
 do ille ex invincibili errore putat, licitum esse, et obligatori-
 um: Ergo si aliquis hoc modo putet se honeste posse ac debe-
 re predicare Gentilibus doctrinam aliquam falsam, ad hoc ut
 facilius trahantur ad Christum, iam Deus, ex hac suppositio-
 ne vere ipsi precipit, ut Gentilibus predicet talem doctrinam.
 Uq. licitam esse pluralitatem Uxorum. Si autem id ei preci-
 pit: Ergo poterit etiam ad illam predicandam speciale suum
 auxilium ei prestare, et miraculis etiam confirmare talem
 doctrinam. Cur enim non possit miraculis confirmare doc-
 trinam illam quam ipsemet predicare iubet? Hoc autem se-
 mel admissio, corrumpit tota firmitas, et infallibilitas fidei: et
 neque Deo debetur Summa fides, nec Summa est ipsius auctho-
 ritas, et veracitas. Nam perinde aliquis censetur esse mendax,
 sive immediate per se ipsum, sive mediate, et per alium, de ip-
 sius mandato, et interposita etiam auctoritate sua, attestetur
 falsum.

Eadem absurda sequuntur, si quis erret, non quidem exis-
 timando licitum sibi esse ex bono fine mentiri; sed existiman-
 do veram esse doctrinam Lutheri, et a Deo inspiratam. Nam
 si Deus ex suppositione huius erroris, vere homini precipit,
 ut amplectatur, et credat illam doctrinam, eamque alijs pre-
 dicet tanquam divinam, sicut ex conscientia erronea putat
 se teneri eam credere, et alijs nuntiare: plane sequitur, Deum
 esse specialem Authorem, et causam falsitatis, et erroris in
 materia fidei, ac morum, nec summam esse ipsius veracita-
 tem

tem, nec infallibilem fidei nostra certitudinem.

Unde eruditissimus

Q^r. Didacus Ruiz de Montoya disp. 30. de volunt. Dei late probat, mutare totam divina veracitatis auctoritatem, quae fidei nostra fundamentum est, si dicatur Deum posse determinare intellectum ad assensum erroneum, et per se, vel per alium vel loquendo, vel alio modo movere, ac determinare ad falsa credenda, tanquam à Deo dicta, et inspirata: potuisset enim, inquit, promovere intellectum, et voluntatem cuiuscumque Prophetae, Apostoli, Evangelistae, aut alterius Sacri Scripturis, ut existimaret vera et à Deo revelata, quae falsa sunt, eaque Dei nomine credenda proponeret. In quo eventu, quamvis assertio falsi propter ignorantiam hominis excusaretur in illo à culpâ mendacij, quia non scilicet falsum diceret; Deus tamen per hominem loquens, eique inspirans, et iubens, ut credat, et credendum alijs proponat, tanquam à Deo revelatum, quod falsum est, scilicet falsum diceret, ac mentiretur per alium; quod non minus repugnat, quam quod immediate per se ipsum mentiretur. Quia tam Scriptura, quam Patres, quando negant, Deum posse mentiri, aperte loquuntur de locutione, quâ Deus per Prophetas locutus est.

Atque ex ijs omnibus patet, quam sit enormis exorbitantia tam confidenter asserere pro ut Terillus asseruit: vique adeo non esse absurdum, quod mendacia, et periuria, quae ex invincibili errore creduntur esse à Deo precepta, sint à Deo Authore, ut hoc sine intolerandâ absurditate negari non possit. Nam quod ad hoc probandum vnicè affert et pro certo supponit, scilicet condemnationem innocentis legitime convicti, Deo iubente fieri, falsissimum est, cum Deus severissime, et universim prohibeat innocentem et insontem condemnare. Ut summum ergo excusabitur à peccato Iudex si ob iniqua et falsa

testimonia

testimonia deceptus, absque illa sua culpa, vel negligentia in officio, hominem re ipsa innocentem quem credit esse reum damnet ad mortem. Est enim hic error non iuris, sed facti, qui proinde sufficere potest, ut excuset a culpa, non tamen, ut actum a Deo prohibitum, reddat bonum et meritorium, ac Deo gratum: ut dissertissime tradit Divus Thomas 1^a 2^a quest. 19. art. 6. ait enim de conscientia errante, hanc solam questionem in se haberi, et esse posse, an excuset, vel non? Unde facta distinctione erroris invincibilis, et totaliter involuntarij, ac vincibilis, et aliquomodo voluntarij, statuit: Quod si ratio, vel conscientia erret, errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis vel conscientie non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientie sic erranti, sit mala. Si autem sit error, qui causat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicuius circumstantie, absque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conscientie excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala. Hac ibi Sanctus Doctor.

Atque id ipsum expressè docuerat quest. 17. de verit. art. 4. quaeritur ibi. Utrum conscientia erronea liget? et relata opinione quorundam asserentium conscientiam erroneam in his, quae sunt per se mala non ligare: in indifferentibus autem ligare; Sanctus Doctor sic ait: sed qui hoc dicunt, non videntur intelligere, quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc enim conscientia ligare dicitur, quod aliquis nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit: non autem hoc modo, quod aliquis implens rectè faciat. Et rursus. Non igitur propter hoc conscientia dicitur ligare, quod si illud fiat ex tali conscientia bonum sit; sed quia si non fiat peccatum incurritur. Itaque

ex mente Divi Thomae in intelligentiâ questionis est, in conformitate cum conscientia erroneâ quærendæ recte factum: neque terminos rectè intelligit, qui vult aliquam operationem esse rectam per hoc quod sit conformis conscientia erroneæ, id est, regula non recta, sed obliqua.

Ratio autem, quâ Terillus precipue nititur, ut mendacium et periurium ex invincibili errore, quo putatur esse à Deo præceptum, asserat re verâ esse rectum, et meritorium, nempe quod actus voluntatis non aliter dependet à prævio dictamine conscientia, ad contrahendum malitiam, quam ad contrahendam bonitatem, sed actus voluntatis discordans à dictamine conscientia etiam erroneæ, malus est: ergo et actus concordans dictamini conscientia invincibiliter errantis, bonus est: et sicut difformitas cum eo dictamine, necessario Deo displicet, ita conformitas cum eodem dictamine, necessario placet Deo. Hæc, inquam, ratio prævisa, et soluta est à Divo Thomâ art. 6. supra citato. Ubi ad 1.º inquit, dicendum, quod sicut Dionysius dicit Cap. 4. de divinis nominibus, bonum causatur ex integrâ causâ, malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc quod sit bonum requiritur, quod utroque modo sit bonum. Sic iuxta omnes ad malum sufficit mala facere quocumque fine: ad bonum non sufficit bona facere, nisi fiant ex fine bono.

Sed replicat idem Author. Si peccatum est non mentiri, quando aliquis ex invincibili errore conscientia putat se teneri ex Lege charitatis ad mentiendum, et peierandum, ut salvet proximi vitam: ergo vere datur in Deo Lex quâ ex suppositione talis erroris iubet homini, ut mentiatur et peieret, quia nullum potest esse peccatum, quod non sit contra Legem Dei æternam. Si autem homo ex suppositione Con-

Cientia

conscientia errantis re ipsa obligatur per Dei Legem, ut hic, et nunc mentitur, et peieret: ergo necesse est, ut voluntas, et alio mentiendo, et peierandi sit hic, et nunc formaliter bona et honesta; cum vera Dei Lex, et voluntas non possit esse nisi de actu bono, imò et tota bonitas, et honestas humanorum actuum consistat in conformitate cum Lege et voluntate divina. Atque hoc argumento convicti multi recentiores de nominatim supra citati Terillus, et Lassler pro comperto habent, necessario ab omnibus agnoscendum esse Legem illam suam reflexam verè et realiter existentem in Deo, quâ iubet facere illud ipsum, quod per Legem directam in Decalogo prohibet, quando conscientia erronea dicit illud esse faciendum.

Ceterum hæc difficultas prævisa etiam et soluta iam pridem est à Divo Thomâ, et ab alijs Theologis communiter, quia nec est propria conscientia invincibiliter errantis, sed communis etiam vincibiliter erranti; nam agere contra conscientiam quæ dicit mendacium, aut periurium esse à Deo præceptum, semper et universim peccatum est, ut Theologi omnes tanquam fide certum statuunt tam de conscientia erronea vincibili quam de invincibili. Deus autem non iubet, ut sequamur conscientiam erroneam vincibilem, et faciamus malum, quod illa dicit esse obligatorium; nam proculdubio peccamus, conscientiam erroneam vincibilem sequendo: et sic Deus iuberet peccare, si iuberet eam conscientiam sequi, ut Granadus, et alij passim observant.

Quomodo ergo conscientia erronea vim habeat ligandi, etiam si nulla in Deo sit Lex, quæ iubeat eam sequi, aut facere id quod illa falsò dicit esse faciendum, explicatur clarissime à Divo Thomâ in prædictâ quest. 17. de verit. art. 4. Ex eo quod in omni conscientia erronea intervenit semper quoddam iudicium rationis rectæ. Nam conscientia iuxta

omnes formatur quodam syllogismo vel formali, vel virtuali: nec una solā propositione concludit, aut obligat: Unde nec propositio illa particularis: Deus hoc precipit: se solā obligaret, nisi presuppositā aliā propositione universalis, et primo principio Synderesis dictante, Deo Supremo rerum omnium Domino, et Legislatori semper et ab omnibus parendum esse. Conscientia ergo erronea obligans ad mendacium sic formatur: Deo precipienti obediendum est, et faciendum omnino quod precipit: sed precipit nunc mentiri. Ergo hic et nunc mentiendum est, et faciendum omnino quod precipit. In hoc autem Syllogismo, licet conclusio sit falsa, et erronea propter falsitatem minoris particularis assumptæ, maior tamen propositio est vera, et recta. Ex hac ergo parte, quæ recta est, conscientia erronea ligat per se, et adiunctus error se habet per accidens. Unde qui agit contra conscientiam erroneam, eatenus verè, et realiter peccat, quatenus violat veram Dei Legem et agit contra maiorem illam universalem, quæ continetur ipsa natura Lex ab ipso Deo nobis impressa.

Atque hic spectat ratio illa planè demonstrativa, quæ S^{ctus} Doctor in hoc ipso articulo probat conscientiam erroneam ligare ad peccatum. Quia peccatum, inquit, principaliter in voluntate consistit: quicumque autem vult transgredi præceptum divinum, habet malam voluntatem: ergo peccat: sed qui credit aliquid esse præceptum, et vult transgredi, habet voluntatem non servandi Legem: ergo peccat: qui autem habet erroneam conscientiam, credit id, quod est contrarium suæ conscientie esse contra Legem Dei: ergo si vult facere illud, vult facere contra Legem Dei, et ita peccat. Hæc Divus Thomas manifestè declarans quæ ratione peccat qui agit contra conscientiam suam erroneam, nempe, quia dum non vult facere quod falsò credit esse a Deo præceptum

praeceptum, hoc ipso non vult facere, quidquid Deus iubet, aut praecipit. Hec huiusmodi transgressor conscientia erronea dicere potest se non habere talem voluntatem; nam convincitur habere dicendo: Deus iubet te hio et nunc mentiri; ita enim ipse credis: sed non vis mentiri: ergo non vis facere quidquid Deus iubet. Ergo transgressor conscientia erronea habet eam voluntatem, et consequenter non solum violat praeceptum particulare falso existimatum, sed primam, et universalissimam, ac verissimam Dei Legem, faciendi in omnibus quidquid ipse iubet, ac praecipit.

In hunc fere modum explicant etiam communiter alij Theologi quomodo agere contra conscientiam erroneam sit vere peccatum, praesertim vero Valentia 1^a 2^a disp. 2. quast. 14. punct. 4. Vbi huius rei causam assignat. Quia ille, inquit, qui iudicans aliquid esse malum, sive vere, sive falso, illud nihilominus vult, quantum in ipso situm est, vult malum, et directe violat Legem illam naturalem synderesis, quae vere dicitur malum non esse faciendum, sed vitandum. Pro qua explanatione citat etiam Navarrum in Manuali, et peculiariter ipsum laudat, quod recte dixerit, eum qui facit quod falso existimat esse malum, peccare contra generalem Legem Naturae, quae vetat mala fieri. Eodem modo rem explicat Thomas Sanchez Lib. 1. Summae cap. 11. n. 2. Quamvis enim, inquit, per se ratio recta, et quae est divinae Legis participatio, sit nostrarum actionum regula: at per accidens est regula conscientia errans, non ut errans, sed quatenus recta ab operante existimatur: unde num. 4. deducit obligationem non agendi contra conscientiam errantem, non oriri per se ex ipsa conscientia erronea, sed ex principio naturali dictante malum esse vitandum, atque ex eius virtutis praeccepto, contra quam id malum esse conscientia erronea dicitur.

Reicienda igitur est, et ab Ecclesiâ Dei pro-
cul arcenda nova ista propositio, et doctrina, quod opus ex
se intrinsicè malum, et aeternæ Legi Dei contrarium, eaque
prædamnatum, ex ignorantia et errore invincibili quo exis-
timatur esse bonum vere ac re ipsâ reddatur bonum, sitque
Deo gratum, et acceptum, Deumque ipsum Authorem ha-
beat, et remuneratorem: quasi verò nostra imaginatio, et
falsa persuasio possit rerum naturas immutare. Absit,
ut dicatur Deum iustum, et sanctum, supremamque
ipsam veritatem, et sanctitatem aliquando præcipere
mendacium et periurium, et necessario illud præcipere
quando conscientia erroneâ dicat esse debitum, et obli-
gatorium: quia hoc semel posito Deus caderet summâ
suâ auctoritate, perderetque dignitatem, ac meritum
summæ fidei, infirmaretur auctoritas divinarum
Scripturarum, neque fides nostra esset omninò certa,
et infallibilis: ut ex gravissimorum Theologorum testimonio,
et rationibus adductis aperte constat.

Propositio nona

Probabile quoad nos, id est, illud quod non vere abso-
lutè et in se probabile est, sed falso, et ex ignorantia
existimatur esse probabile, cum tale non sit, suffi-
cit etiam ad excusandum à culpâ quemlibet
actum Legi ac fidei divina contrarium.

Hac propositio consequenter ad alias præcedentes traditur
 etiam expressè à Terillo tract. de conscientia quæst. 4. assert.
 2. eamque demonstrari ait exemplo eorum, qui educantur
 in heresi, et nunquam audierunt argumenta contra suos er-
 rores, sed solum perceperunt auctoritatem, et rationes heresi
 sue faventes: hi enim, inquit, probabiliter, et prudenter exis-
timant vera esse, quæ à suis maioribus didicerunt; sunt
enim hæretici tantum materiales, et in suo errore irrepre-
hensibiles; ut constat ex hypotesi. Ecce hæreses, et errores
illi, quoad illos, sunt probabiles, cum tamen quoad se sint
improbabiles; eo quod omnibus inspectis, rationes fidei Ca-
tholica faventes, omnem à motivis heresi faventibus pro-
babilitatem certissimè auferant. Idem valet in innume-
ris alijs casibus: ut satis ex se patet.

Ceterum propositio præ-
 sens deterior adhuc est ut pote longè amplior, et laxior quam
 sint duæ præcedentes. Quia in illis supponitur, quod hæretici
 probabiliter et prudenter existiment vera esse quæ à suis ma-
 joribus didicerunt. Nunc vero dicitur, non esse necessari-
 um, ut quod est probabile quoad illos existimetur verum,
 sufficere, quod existimetur probabile. Itaque præsens propo-
 sitio notabiliter extendit et ampliat præcedentem errorem.
 Quia longè facilius est, et sæpius contingit, ut quod est ve-
 verè falsum, et improbabile, existimetur probabile, quam
 quod existimetur verum: et passim affirmatur hoc aut
 illud esse probabile, quod tamen nullis modo affirmatur, neque
 affirmari potest, quod sit verum. Undè et ipsi Authores Pro-
 babilista

babilista passim affirmant, quando sunt contraria, aut
contradictoria Magistrorum sententia de honestate aut ma-
litiâ alicuius actus, utramque partem contradictionis esse
probabilem; sed non posse utramque simul esse aut iudica-
ri veram. Et multi ex illis ad operandum licitè ex opinione
probabili, minime volunt sufficere, ut iudicetur probabilis, sed
requirunt, ut iudicetur absolute vera; neque satis esse iudicium
de solâ probabilitate, sed necessarium esse iudicium de verita-
te: et si aliquando contingat opinionem illam, quæ ab ope-
rante iudicatur vera, esse in re falsam, nihilominus ad excu-
sandum à peccato sufficere veritatem existimabam.

Dubita-
ri autem non potest, quin multi hæretici Lutherani, et Cal-
vinista plebeij, et idiota, probabilem solum existiment suam
hæresim quam à Parentibus didicerunt, sed non ideo absolu-
te opinentur ac iudicent eam esse veram: ad hoc enim ma-
ius fundamentum requiritur, quam ad iudicandum de so-
lâ probabilitate. Ergo dum Terillus in presenti proposi-
tione ad excusandum hæreticos à peccato hæresis, suffice-
re vult quod sua hæresis appareat, et videatur eis proba-
bilis, notabiliter ampliat, et magis confirmat, ac fovet hæ-
reticorum omnium, et infidelium errores.

Deinde propositio
præsens manifestissime continet errorem illum Academi-
corum ab Augustino debellatum in suis contra Academi-
cos Libris, quod probabile abstrahens à veritate esset regu-
la rectè ac prudenter agendi. Existimaverunt enim illi,
veritatem certò inveniri non posse: ideoque Sapientem,
ut eximeretur à periculo errandi, nihil tanquam verum
amplecti, aut probare unquam debere; erret enim Sape
necesse est, si rebus incertis assentiatur. Nèc tamen ideo
dicebant Sapientem ab Officijs cessare debere, cum haberet
quid sequeretur, scilicet probabile, aut verosimile, ut refert
Augustinus Lib. 2. Cap. 5. Quid verò illi intelligerent per
probabile

probabile, et verosimile explicat ibidem cap. 11. dicens. Id probabile, vel verosimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id, quod agimus non opinemur verum esse, aut nos scire arbitremur. Agamus tamen. Illud ergo probabile, quod non ut verum, sed ut probabile solum acciperetur dixerunt sufficere Sapienti ad agendum sine vitio, et errore. Unde quod spectat ad mores, hoc fuit principium et caput illius Sectae proprium. Turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus; sed tamen cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.

Contra hoc Academicorum dogma Augustinus Lib. 3. cap. 16. fortissimè invehitur, et late probat admissio isto eorum principio, cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat: crimina omnia probari, et honesta reddi; et affert exemplum adolescentis, cui faciendum esse adulterium, probabile visum est. Sed ne alicui fortasse videretur hæc talia non serio dixisse, paulo post subiicit. Sed vos me iocari arbitramini. Libet deicere per omne Divinum, nescire me prorsus, quomodo iste peccaverit, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat: nisi forte in totum aliud esse dicant errare, aliud peccare, seque illis præceptis egisse, ne erremus; peccare autem nihil magnum esse duxisse. Taces de homicidijs, parricidijs, sacrilegijs, omnibusque omnino, quæ fieri, aut cogitari possunt flagitijs, aut facinoribus, quæ paucis verbis, et quod est gravius, apud Sapientissimos Iudices defenduntur. Quomodo enim non facerent, quod sibi probabile visum est. Qui autem non putant ista probabiliter posse persuaderi, legant Orationem Catilina, quâ patria parricidium, quo uno continerentur omnia scelera persuasit.

Prosequitur deinde, et Academicorum doctrinam irridet simul, ac detestatur his verbis:

verbis: iam illud quis non videt. Ipsi dicunt nihil se
in agendo sequi, nisi probabile, et querunt magnopere
veritatem, cum eis sit probabile non posse inveniri.
O mirum monstrum! Sed hoc omittamus: mi-
nus ad nos, minus ad vita nostra discrimen per-
tinet. Illud est capitale, illud formidolosum, illud
optimo cuique metuendum, quod nefas omne,
haec ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam
visum fuerit esse faciendum, dummodo nulli qua-
si vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam
sine erroris vituperatione committatur. Haec tanta, et
tam vehementer, et post tam accuratam hinc inde cir-
cumspectionem omnium Augustinus.

Respondet Ter-
villus haec omnia ab Augustino contra Academicos dic-
ta, male et ineptè adduci contra suum probabile pu-
re existimatum et apparens cum nulli Catholico aut
Christiano probabile appareat vel apparere possit adul-
terium, parricidium, et similia esse licita, sed mini-
mè satisfacit; quippè neque Augustinus dixit, ex
probabili Academicorum sequi crimina omnia omni-
bus probari, et honesta reddi: non enim omnia om-
nibus probabilia videntur; sed solum dixit, nullum
scelus esse, quod his, aut illis pr babile videri non pos-
sit, et sic adolecenti in exemplum adducto probabile
potuisse videri adulterium. Nam et adulteria lice-
re, imò et in optimâ Republica omnia debere esse com-
munia, et communes etiam uxores, Socrates, et Plato
docuerunt: atque id ipsum Nicolaita Religionem
existimarunt, et nihil quisquam haberet suum, sed om-
nia essent omnium, et ut habentes essent tanquam
non habentes. Hoc autem manifestissimè sequitur ex
praedictâ propositione Terilli; nam de illo probabili falso,
et apparenti, vi cuius haeretici prudentèr, ac licitè adherent
suis

erroribus verissime dicitur, quod si actus nostros à peccato excusat, omnia prorsus scelera reddenda sunt licita. Quid enim eis non liceat, quibus haeresis, et quævis alia falsa Religio licet?

Certe ipsemet L^r Ferillus in Prefatione ad Tractatum suum de Conscientiâ probabilî post longam declamationem contra Decentiores illos qui levissimis ratiunculis ducti Antiquorum Theologorum in opinando severitatem, non modo clam carpere, sed palam ausi sunt suis Scriptis condemnare: et quod priores, doctiores, ac severiores Theologi unanimi sententiâ damnabant ut malum, illi ausu sanè temerario pro bono, et honesto venditare non erubuerunt. Tandem ad vitandum periculorum extremum indiscreti vigoris, et nimia laxitatis in opinando, hoc discrimen statuit inter veram, et apparentem probabilitatem; quod vera et sincera probabilitas de honestate alicuius obiecti sit sufficiens regula pro conscientia securitate. At quod quævis probabilitas etiam apparens, ut aliqui volunt, licetè sumi possit in regulam conscientia, laxitatem esse æquo animo non ferendam. Non ergo amplius, ipsemet iudice, toleranda est præsens eius propositio qua pro facta, et rectâ conscientia regulâ assignat probabilitatem etiam merè apparentem: id est, non solum probabile, quod absolute et in se, ac verè sit tale, sed etiam purè existimatum, et apparens, et quod falsi videatur esse probabile, cum non sit

Et sane

si reflexione facta supra istud probabile purè existimatum, et apparens, etiam si non existimetur verum formari potest practicum et ultimum dictamen conscientia de verâ et reali honestate actus; quod dictamen semper est verum, certum et evidens; ut idem Author supponit, iam non solum qualibet haeresis, sed etiam ille universalissimus error, quod unusquisque sanctè vivat, ac Deo placeat in eâ Religione, quam ipse credit Deo placere, probabilior, et

credibilior re ipsa efficitur, et in pluribus multo magis verificatur. Difficillimum enim est, imo et impossibile, ut contrarias inter se Religiones, et Sectas, omnes absolute aliquis censeat esse veras, et per se à Deo institutas, cum sit primum principium lumine nature omnibus per se notum, contradictoria, aut contraria non posse simul esse vera, quod est idem atque illud, impossibile est, rem simul esse, et non esse. Sed quod contraria aut contradictoria simul sint probabilia ab Auctoribus predicta propositionis, tanquam certum defenditur; facillimum ergo est, quod multi sibi persuadeant, quamlibet Religionem esse probabilem, ac proinde unumquemque in eâ fide, ac Religione salvari, quam probabile credit à Deo esse, et ipsi placere.

Quod si Augustinus tam vehementer invecus est in Academicos Gentiles, quia probabile abstrahens ab assensu veri, docuerunt esse Regulam recte, et prudenter agendi: quid diceret si Christianis temporibus, et in Ecclesia ipsa Catholica renovari videret eundem errorem, et pro regula, et norma recte vivendi adstrui probabile sine assensu veri? Imò et sufficere illud probabile, quod non maiorem, sed minorem habeat apparentiam veri, quam falsi; quod ne Academici quidem sufficere existimarent.

Sed nemo tam adquate in omnibus et tam clare consentit cum Academicis quam P.^r Christophorus Lassler in suo volumine inscripto Norma Recti. Docet enim in primis disp. 3. quest. 2. illud esse verè et propriè ac simpliciter probabile, quod non mereatur assensum, nec est de se assensu dignum, quando apparentia, et species veritatis, quam praeferat, est adeo magna ut virum etiam peritum, prudentem, ac probum alliciat ad assensum. Unde late defendit opiniones etiam illas quas Alexander VII. et Innocentius XI. damnarunt ut minimum tanquam scandalosas, et animarum salutis perniciosas fuisse prius vere probabiles et innoxias, quia tales visa sunt viris Sapientibus absque

92

absque ullâ eorum culpâ. Insuper autem docet, quando utraque pars contradictionis apparet æquè probabilis, intellectum nulli earum determinatè assentiri posse, quia non magis apparet vera quam falsa, et multo minus posse prestare assensum ei quod apparet sibi minus probabile, quia illud magis apparet esse falsum, quam verum. Et nihilominus tuetur quamlibet opinionem probabilem etiam minus tutam esse regulam et normam rectè agendi, non solum quando æquè probabilis, sed etiam quando operanti apparet minus probabile, quam opposita. Unde manifeste ponit pro regula rectè et prudenter agendi probabile sine assensu veri, in quo totus Academicorum error continetur.

Dicit probabile à se traditum pro Norma recti, non esse probabile absque omni assensu, sed cum assensu et iudicio reflexo quo prudenter et practicè iudicatur illud esse operanti absolutè licitum et honestum, quod directè solum apparet probabile. Cæterum id ipsum est quod Academici assererant, scilicet probabile non ut verum, sed præcisè ut probabile acceptum sufficere viro Sapienti, ut iuxta illud agendo rectè ac prudenter, honeste ac sine ullo vitio operetur. Neque aliud inter ipsius et Academicorum sententiam discrimen est, nisi quod Academici non quodlibet æquè aut minus probabile, sufficere voluerunt ad rectè et prudenter agendum, sed illud solum quod nulla in contrarium aut æquali, aut maiori verosimilitudine impediretur. Ita enim Tullius ipse Academicus eorum dogma dissertè proponit, his verbis: sic quidquid acciderit specie probabile, si nihil se offeret, quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo Sapiens, et sic omnis ratio vitæ gubernabitur. At D^r Cassler sufficere vult pro Normâ recti, æquè aut minus probabile apparens, quod non maiorem, sed minorem habeat apparentiam, et speciem veri, quam falsi. Hoc autem est, quod Augustino ne quidem probabile visum est, sed evidentissimè falsum, et nefarium, scilicet it
tud

istud effatum: quod probabile cuique visum fuerit esse facien-
dum, sine peccato fit. Nam illud est, inquit, capitale, illud
optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si hęc ratio
probabilis erit, cum probabile cuique visum sit, esse facien-
dum, non solum sine scelere, sed etiam, sine erroris vitupe-
ratione committatur.

Propositio Decima.

Damnata ab Alex. VIII. ista propositio: Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam: consequenter damnata venit sententia asserens, quod sola veritas sit recta regula morum.

Ista damnata ab Alexandro VIII. simul cum alijs 31. propositionem istam: non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam, statim Probabilista putarunt, damnatum pariter esse, quod non liceat sequi quamlibet opinionem probabilem etiam falsam, saltem ^{cum} probabilior, aut probabilissima esse censetur. Unde quidam Magister Salmanticensis, qui Celladei Opus de Recta doctrina morum, Suprema in Hispania Inquisitionis Tribunali denunciavit: hanc ante omnia accusationem instituit: quod in Opere totus est Author in persuadendo solam veritatem, nec solum existimatam, sed in re, sufficere pro recta regula morum, et conscientia securitate. Eandem vero accusationem alij etiam Probabilismo suo nimis addicti paulo post Romae instaurarunt.

Novissimus autem Probabilismi defensor Dr. Christophorus Passler in suo volumine inscripto Norma recti disp. 2. quodlib. 10. pro certo supponens, quod propositio Sinichij ab Alexandro VIII. damnata, procedit etiam de opinione falsa, quae probabilissima appareat: Exinde contra Celladeum infert, et probare conatur, posse quem plus certo scire se non peccare, quam sciat se non agere contra legem. Quia ex vi opinionis, quae vera sit in re, et ab Operante iudicatur directe vera, nemo potest esse omnino certus, quod actio sit licita; cum opinio semper habeat ex se annexam formidinem de opposito. Ultimum vero dictamen conscientiae semper debet esse certum, et exclusivum omnis formidinis actualis: et haec certitudo haberi non potest, nisi ex principio reflexo

quod licite possit quamlibet actionem ponere, de quã omnibus consideratis probabilius, aut probabilissimum sibi apparet, quod licita sit. Quod autem eiusmodi principium sit omnino, et infallibiliter certum, constat ex eo quod ab Apostolica Sede damnata sit illa propositio: Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

Hanc igitur illationem, quam ex predictã propositione ab Alexandro VIII. damnata, faciunt hi Moderni Probabilista existimantes damnatum simul cum eã esse, quod sola veritas sit regula morum, necessarium omnino esse videtur, ut S. Dñs. N.º pro ipsius Apostolicæ Sedis honore accuratissime examinari iubeat, ac bene dispiciat, an oporteat eam absolute damnare, ac prohibere. Nam certe videtur non solum falsa, et inepta, animabus perniciosa, ac divina Legi contraria, sed ipsius etiam Apostolicæ Sedis auctoritati summè iniuriosa.

In primis enim quod sola veritas, sola recta ratio, et non errans, sola opinio vera, et nulla falsa, sit recta regula morum, procul abest ab illa propositione damnata, Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Patet enim evidenter ex terminis, nullam esse hanc consequentiam: sola veritas, vel sola opinio probabilis vera, est recta regula morum. Ergo non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Nam certè consequentia ista non potest subsistere, nisi ipsa summa probabilitas dicatur semper habere adiunctam falsitatem, et opinio inter probabiles probabilissima, eo ipso dicatur fallax, et falsa; alioqui enim ex eo, quod non liceat sequi ullam opinionem falsam, seu probabilitatem veritatis expertem, non poterit unquam deduci, quod neque licitum sit sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. Quis autem sana mentis dicat omnem opinionem etiam inter probabiles probabilissimam esse falsam?

Secundo, quam sit hęc
consecutio

consecutio stulta, et inepta, ostenditur explicando rem totam. Nam probabilitati non opponitur veritas, sed certitudo, aut improbabilitas; quia licet non omne probabile sit verum, tamen neque omne probabile est falsum: et sic optime potest aliquid esse probabile, et simul verum. Igitur per hoc quod est aliquid esse probabile non excluditur verum, sed solum excluditur improbabile aut omnino certum. Ergo ex eo, quod damnata sit haec propositio, Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam; bene quidem infertur ad recte operandum non requiri evidentiam demonstrationis, aut omnimodam certitudinem veritatis; non tamen infertur, quod neque necessaria sit saltem opinio probabilis vera. At Cella dei sententia, et eorum omnium, qui eius doctrinam tuerentur, et laudant, dum ponit solam veritatem, et solam opinionem probabilem veram, esse rectam regulam morum, nullo modo requirit evidentiam, aut certitudinem veritatis, neque omnem probabilitatem excludit, sed solam probabilitatem veritatis vacuum, et inanem. Ergo ipsius doctrina non nisi temere accusatur, et absque ullo etiam levissimo fundamento dicitur comprehendi in illa propositione ab Alexandro VIII. damnata.

Præterea, propositio illa, Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam, est indefinita, et universalis, ut patet; et æquivaleret huic: nullam in praxi sequi licet opinionem probabilem. At ex eo, quod falsa, et damnata sit propositio ista universalis negativa, non rectè deducitur veram esse propositionem contrariam universalem affirmativam. Quia ut omnes sciunt, propositiones contrariae, licet non possint esse simul verae, possunt tamen esse simul falsae: atque ita in re presenti, sicuti falsa est, et ab Alexandro VIII. damnata hæc universalis negativa: non licet sequi vel inter probabiles probabilissimam; ita falsa est, et ab Innocentio XI. damnata propositio contraria affirmativa, nempe: licet in praxi sequi quamlibet opinionem probabilem; sive generatim, dum probabilitate,

sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui modo à proba-
bilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus semper pru-
denter agimus. Solum ergo debet inferri ex illâ propositione uni-
versali negativâ damnatâ, aliqua particularis contradictoriè
opposita. Sufficit ergo inferre hanc: Ergo licitum est sequi opi-
nionem probabilem, quâ vera sit, et post adhibitam diligent-
iam, vera ab Operante censetur, quin ex contrarietate opinio-
num adducatur in aliquam dubitationem de opposito. Non
verò opus est inferre hanc, quam videri Probabilista inten-
diunt. Ergo licet sequi opinionem probabilem etiam minus
tutam, quam quis iudicat falsam, vel probabilius esse falsam,
quam veram: vel abstrahendo ab eo, quod sit vera, vel falsa:
quasi sola probabilitas abstrahens à veritate, et falsitate, sit
recta regula morum, et parum interrit, quod opinio sit falsa,
et Legi Divinâ contraria, dummodo probabilis sit.

Sed ut in re tan-
ti momenti, in quâ Accusator, tam perniciosam, et enormem hallu-
cinationem passus est, nullus remaneat ambigendi locus, scire
oportet, propositionem hanc ab Alexandro VIII. damnatam:
Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam,
traditam fuisse sub his terminis à Joanne Sannich, Doctore
Lovan. in Saule Lib. 1. cap. 95. §. 356. pag. 363. qui etiam uni-
versaliter docuit: opinari nunquam non vitiosum esse, nun-
quam non inordinatum, nunquam non nature rationali
dissentaneum, ac malum, ut habet ibidem Lib. 1. cap. 97. §.
364. Itaque ille Doctor reprobasit verum cuiuscumque opi-
nionis probabilis, etiam si vera sit, et ab Operante vera esse
censeatur; putat enim necessariam esse omnimodam certi-
tudinem veritatis ad conscientia dictamen ritè formandum
Atque hoc totum significat propositio illa damnata, ut iacet,
cum sit universalissima, et omnem prorsus opinionem proba-
bilem excludat à rectâ conscientia regulâ.

Eandem verò esse quo-
rundam aliorum Lovaniensium sententiam refert inter
alios

alias P. Antonius Sarassa, de arte semper gaudendi. 2.^a par.
 tract. 4. n.^o 39. pag. 124. his verbis: Volunt itaque hominem,
qui indagatis omnibus, veritatem ipsam probabili tantum
ratione asequitur, ab omni actione debere desistere, neque ul-
lam sine culpâ lethali posse exhibere, nisi et veritatem ipsam
attigerit, et certus sit, se eam attingere, nullumque se peccatum
materiale committere. In quâ doctrinâ, non solum illi pec-
 cant, quia velint nullam ignorantiam Divinae Legis, etiam
 posito, quod invincibilis sit, excusare à peccato: qui est alius
 error paritèr ab Alexandro VIII. damnatus, sed etiam insuper
 errant, in eo, quod ad formandam ritè conscientiam exigant
 non solum iudicium re ipsâ verum, sed et omnimodam certi-
 tudinem veritatis; quod est plus exigere, quam humana con-
 ditio patitur. Atque id unice est, quod in predictâ illâ propo-
 sitione damnatur: non licet sequi opinionem, vel inter pro-
babiles probabilissimam.

Quod autem sola veritas sit recta regula
 morum, certissima et irrefragabilis veritas est: et qui hanc pro-
 positionem criminantur, et accusant, sanè videntur non satis
 rem intelligere. Nam dicere solam veritatem, et solam doctrinam
 et opinionem veram, esse rectam regulam morum, idem est, ac
 dicere, solam Dei Legem esse primam et universalem regulam
 totius rectitudinis humanorum actuum, et nihil aliud, præ-
 ter, aut contra Legem Dei esse regulam vite nostræ. Quod
 enim est in rebus esse, hoc est, in intellectu verum, ut Sapien-
 tibus est primum principium: et sic in re nostrâ, doctrinam,
 vel opinionem, quæ dicat aliquid esse licitum, esse veram, aut
 falsam, idem est, ac re ipsâ dari, vel non dari Legem Dei prohi-
 bitivam illius, sive idem est, ac obiectum esse divinâ Lege pro-
 hibitum, vel non prohibitum, sed permissum. Ergo à contra-
 rio, qui vult non solam veritatem aut solam doctrinam, et
 opinionem veram, sed promiscuè veritatem, et falsitatem,
 sive quamlibet etiam opinionem falsam, esse rectam regu-
 lam morum, hoc ipso vult regulam vite nostræ non esse solam

ipsam Sanctam Legem Dei, sed aliquid etiam aliud præter
aut contra Legem Dei: nempe opiniones et doctrinas huma-
num etiam falsas, et re ipsâ divinæ Legi contrarias. Hoc au-
tem ex se apparet absurdum, nec videtur omninò tolerandum.

Sed
multo minus tolerandum esse videtur, quid dicatur Summum
Pontificem Alexandrum VIII. cum damnavit suprâdictam pro-
positionem Sinichij, Nôn licet sequi opinionem vel inter pro-
babiles probabilissimam, hoc ipso, ex Cathedrâ declamasse non so-
lam veritatem, sed etiam falsitatem, esse regulam suorum, ita
ut liceat sequi opinionem probabilem falsam, saltem, cum pro-
babilior, aut probabilissima existimatur. Hoc enim est Apos-
tolice Sedi gravitèr iniuriosum, et infallibili ipsius auctoritati
contrarium. Nam dicere, licitum esse sequi opinionem proba-
bilem falsam saltem cum probabilior, aut probabilissima
existimatur, perindè omninò est, aut formalitèr, aut equi-
valentèr, ac dicere, licitum esse agere quod est illicitum, et Le-
ge divinâ damnatum: siquidem opinio illa ideo est falsa, quia
docet esse licitum, quod Lex Dei damnat, ac prohibet. At hæc
propositio tam absurda est, ut nequeat sine gravissimâ iniu-
ria Sedi Apostolice attribui. Nam ut ait Tertullianus de Spect.
cap. 20. Nunquam, et nusquam licet, quod Deus damnet. Undè
etiam admissò, quod per errorem, aut invincibilem ignorantiam
excusetur à culpâ id, quod est divina Lege prohibitum.
V. g. mendacium, non tamen potest absolutè dici, licitum
esse aliquando mentiri; Hæc enim est hæresis ab Ecclesiâ dam-
nata. Ergo omninò repugnat Summum Pontificem loquen-
tem ex Cathedrâ declarasse licitum esse sequi opinionem pro-
babilem falsam, et Legi Divinæ contrariam. Hoc enim pro-
indè esset ac dicere absolutè licitum esse quod Deus damnat,
vel licitum esse, et honestum aliquando agere, quod est Le-
ge Divinâ prohibitum.

Explicatur id ipsum: Quia repugnat, Ec-
clesiam, aut Summum Pontificem declarare licitum esse sequi

doctrinam

doctrinam aut opinionem probabilem falsam, quoniam ex eo, expresse aut equivalenter declarat, falsam doctrinam esse tutam, et sanam, et honestam, ac bonis moribus consonam. Non enim fieri potest, ut declarat, nos recte agere, et sanotè vivere iuxta doctrinas, et opiniones, quae recta, sanaque doctrina morum non sint, sed noxia, perniciose, vel prava. At repugnat Ecclesiam, aut Summum Pontificem approbare, ac dare fidelibus pro sana, et recta doctrina morum, doctrinas et opiniones falsas de moribus. Tum quia rectitudo, et sanitas doctrina est veritas, ut docet S. Thomas in Commentario ad Epistolam Pauli 1. Corinth. cap. 3. et 6. et ad Timoth. Cap. 4. Tum quia omnis doctrina sana, et animae salutaris est à Deo Authore; si autem non sit vera, sed falsa, non potest esse à Deo Authore, quia Deus solum est Author doctrinae verae: ergo omnis doctrina sana, est doctrina vera, et non potest esse simul sana, et falsa vel erronea. Tum demum. Quia alioquin iudicium, et positiva etiam approbatio Ecclesiae, quae particularem aliquam propositionem approbaret, ut rectam et sanam doctrinam, veritatis argumentum non esset. Ergo omnino repugnat, Ecclesiam, aut Summum Pontificem declarare licitum esse sequi opinionem re ipsa falsam, et Legi Divinae adversantem.

Denique, ex Decretis Summorum Pontificum Alexandri VII. et Innocentij XI, quibus tot falsae opiniones damnatae sunt, tanquam scandalosae, et in praxi perniciosae, manifestissime constat, non probabilitatem veritatis vacuam, et inanem, neque ullam opinionem probabilem falsam etiam si probabilior aut probabilissima existimetur, sufficere ad rectè et honeste agendum, sed unam et solam veritatem esse totius vitae Christianae regulam: quod, ut iam vidimus, nihil aliud est, quam sanctam ipsam Legem Dei esse unicam, et supremam regulam humanorum actuum, et morum. Nam certè opiniones illae de

rebus moralibus, quae à Summis Pontificibus damnatae sunt
tandem scandalosa, et bonis moribus perniciose, nullo modo
erant recta, et sana, ac tuta regula morum, sed prava, et per-
niciosa, etiam antequam damnarentur. Non enim Summi
Pontifices suâ prohibitione, ac sententiâ fecerunt illas esse scan-
dalosas, et bonis moribus perniciosas, sed tales esse declararunt,
et ne animas perderent, ideo illas damnarunt, ac prohibuerunt.
At opiniones illae non solum probabiles, sed plures earum
etiam probabiliores, et probabilissimae censebantur. Er-
go quod opinio falsa probabilior, aut etiam probabilissima
existimetur, minimè sufficit, ut sit recta regula morum.

Propositio Undecima.

Veritas in rebus moralibus non nisi difficillimè,
ac rarò inveniri potest; Undè ignorantia iuris
divini etiam naturalis quæ invincibilis sit, et à
peccato excuset, sæpissimè datur: atque id necessario
tenendum est ad vitandum errorem Jansenij
de impossibilitate præceptorum.

Tota doctrina huius propositionis traditur communiter à Pro-
babilistis, et est ratio unica, vel præcipua, quæ firmiter asse-
runt non solam veritatem, sed probabilitatem quosque opinio-
nibus falsis convenientem, esse rectam et tutam regulam mo-
rum. Quia in rebus moralibus, inquirunt, de quibus sunt va-
riæ opiniones Doctorum, veritas ipsa inveniri non potest, ni-
si admodum rarò, et post accuratum examen, ac discussionem
ipsarum opinionum: hoc verò examen Doctis est nimis diffici-
le, ac laboriosum, indoctis omninò impossibile. Non ergo te-
nemur ad ipsam veritatem, sed satis est probabilitatem asse-
qui: ac proinde ut aliquis sequatur in praxi opinionem favo-
rabilem Libertati, non requiritur, ut iudicet eam esse veram;
sufficit quod sciat eam esse probabilem. Undè aliqui etiam eo-
rum de Jansenismo accusarunt, quod dicatur, solam veritatem
esse rectam regulam morum, quia hoc videtur plane coincide-
re cum errore Jansenij asserentis nos obligari ad aliqua Dei
mandata hominibus etiam iustis impossibilia.

Ceterum ex pro-
ximè dictis contra propositionem præcedentem apparet etiam
totam huius propositionis doctrinam damnari pariter debere
ab Apostolicâ Sede tanquam temerariam, et scandalosam,
ac totius divins Legi relaxativam, impiam et erroneam,
et ipsam quoque capitalem Jansenij hæresim, licet ex me-
râ insitiâ, continentem. Constat enim, ut sæpè iam dixi-
mus, idem esse in intellectu verum, quod in rebus esse. Quare
idem prorsus est, veritatem moralem esse unicam vitam nostram

regulam, quam in omnibus diligentè quærere, ac sequi debeamus, atque ipsam Legem Dei in omnibus quærere, et sequi, tanquam unicam, et universalem regulam humanorum actuum. Idem quoque est invenire moralem veritatem, et invenire Leges ipsas, et præcepta Dei. Nam qui Leges ipsas Dei novit, et quid, quomodo, et quando re ipsa Deus per suam Legem à nobis requirat, utique veritatem assecutus est. Ergo idem pariter erit veritatem in rebus agendis esse inassequibilem, ac ipsam Legem Dei inassequibilem esse. At dicere Legem Dei esse inassequibilem, et inobservabilem, error est et blasphemia. Ergo dicere veritatem in rebus moralibus inassequibilem esse, error, et blasphemia est. Siquè adeo nonnulli ex Probabilistis in hâc re parum cautè loquuntur, neque res clarissimas satis animadvertunt.

Idcirco dum Jansenismum nobis objiciunt, in Jansenismum ipsi nescientes delabuntur. Nam veluti rem exploratam assumunt, veritatem in rebus moralibus controversis inveniri non posse: hoc autem intelligentibus perinde est, ac dicere, in salibus, Leges ipsas Dei inveniri non posse: et consequenter aliqua esse Dei præcepta, quæ hominibus etiam iustis volentibus, et conantibus impossibilia sunt, cum non possint servari nisi innotescant, et aliunde non possint post omnem conatum, et diligentiam absolute cognosci. Jam ergo, ut optimè inquit Pr. de Elzalde, qui veritatem in tot rebus moralibus inassequibilem arbitratur, non est cur nobiscum contendant, sed cum Deo disputent. Deus scilicet, non nos eius Leges, et præcepta tulimus: tulit autem ut custodirentur. Ergo, ut sciri primum possent, ac deinde impleri; non autem ut à doctis solum; Ergo, ut ab omnibus etiam indoctis pro quibus Leges tulit. Dicunt ad nos: veritas inveniri nequit: dicant Deo, et contendant; Lex tua Domine, sciri nequit, ac proinde nec servari, et impleri.

Quod explicatur, et confirmatur. Nam Adversarij etiam in hominibus iustis

et diligentissimis admittunt ignorantias invincibiles circa præcepta Dei clara, et expressa, qualia sunt Decalogi, saltem sub novis et particularibus circumstantijs, veluti cum mendacium et perjurium licitum esse creditur ad salvandam proximi vitam. Hoc autem posito facile est arguere. Qui non habet in suâ potestate cognoscere præcepta Dei, non habet in suâ potestate servare præcepta Dei, sed homo iustificatus non habet in suâ potestate cognoscere præcepta Dei, quæ ad ipsum spectant, sed in pluribus laborat ignorantia invincibili Divina Legis. Ergo homo iustificatus non habet in suâ potestate servare præcepta Dei. Sed Concilium Tridentinum Sess. 6. Cap. 11. Statuit, neminem debere temerariâ illâ, et à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Et rursus. Can. 18. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, et sub gratiâ constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Sideretur ergo sanius, et Catholica Doctrina consonantius dicere, nulla Dei præcepta esse impossibilia ad cognoscendum, ac proinde nullam esse insuperabilem ignorantiam divina Legis ad unumquemque pertinentis.

Dicunt, Jansenium, et alios hereticos insuper docuisse, nos peccare in ijs, quæ observare non possumus. Et fatemur quidem eos in hoc etiam errasse. Ceterum modò non agimus de hoc errore. Et independentè ab illo, Concilium Tridentinum, et Sancti Patres absolute volunt præcepta Dei esse possible, neque enim dicunt aliqua Dei præcepta observari non posse, tunc tamen non peccari; sed absolute dicunt, impium esse ea dicere impossibilia. Quòd ut clarius appareat, et melius percipiatur, ponamus novum aliquem Jansenistam, qui dicat homini iusto volenti, et conanti esse aliqua præcepta impossibilia; neque paratam esse à Deo gratiam quæ possible fiant, sed tamen eorum violationem non esse culpabilem, ac formalem, sed purè materiale. Profecto non idèò immunis esset ab errore impossibilitatis præceptorum; nam aliud est præcep-

sum servare, et implere, et aliud propter potentia defectum in violatione non peccare. Est autem error dicere impossibilia esse Dei mandata, etiamsi ea impossibilitas dicatur aliunde excusare à peccato. Et aliqui inanis fuisset definitio Concilij Tridentini, et Innocentij. X. in qua scilicet deest totum illud, quod unice damnandum fuerat, scilicet peccari formaliter in violatione preceptorum impossibilium: damnatur autem unice aliud, in quo per se, et seorsim sumpto nullus est error, scilicet aliqua Dei precepta esse impossibilia. Constat ergo Concilium Tridentinum, et Innocentium X. damnare hoc ipsum, quod scilicet aliqua Dei precepta sint homini iusto absolute ad observandum impossibilia: etiam abstrahendo ab alio errore, quo dicatur eorum violationem esse culpabilem, et formalem. Ergo etiamsi dicatur ignorantiam invincibilem excusare à peccato formali, adhuc error erit dicere aliqua Dei precepta esse etiam homini iusto absolute impossibilia ex defectu cognitionis, eorumque ignorantiam esse prorsus insuperabilem, neque paratam esse à Deo gratiam, qua possint illa cognosci et impleri.

Et certè ea omnia, quæ ex Scripturis et Sanctis Patribus afferuntur ad probandam possibilitatem preceptorum, non solum probant paratam esse à Deo gratiam in hoc statu naturæ lapsæ, quæ possint precepta Dei servari, quæ nobis innotescant, sed etiam quæ absolute possint à nobis cognosci. Nam primus ille, et celebris Deuteronomij Locus cap. 30. mandatum hoc, quod ego precipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in Cælo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad Cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus, neque transmare positum, ut causeris, et dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, et facere quod preceptum est? Sed iuxta se est sermo valde sic. Hic, inquam, locus non tam de possibilitate, et facilitate servandi, quam cognoscendi Legem procedit, ut Abulensis, et alij in hunc locum observant.

Deinde testimonia S. Patrum, quæ adduci solent, eodem modo probant præcepta Dei, quæ ad unumquemque spectant, posse ab eo cognosci, quæ probant cognita posse ab eo servari: Nam sicuti cum Magno Basilio clamamus. Impium est dicere impossibilia observatu esse Spiritus Sancti præcepta: eodem iure exclamare possumus. Impium est dicere impossibilia cognitu esse Spiritus Sancti præcepta. Et sicut dicimus cum Augustino Lib. de fide. contra Manich. Cap. 10. Quis non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere? Sic pariter dicere possumus: Quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, qui scire illa omnino non possit? Ratio enim utrobique est eadem. Quia sive mandata Dei cognita servari non possint, sive etiam cognosci nequeant: eodem modo sequitur Legem Sanctam Dei quoad aliqua præcepta, et saltem magna ex parte fuisse inutiliter, frustra, et vanè conditam. Quod sanè de Lege Divinâ sine blasphemiam, et impietate dici non potest. Possumus ergo, si adhibeamus debitam diligentiam, invenire, et scire ea omnia, quæ Deus voluit, et iussit à nobis fieri.

Quocirca mirari non desino, vel incitiam, vel inconsiderationem eorum, qui putant se longè abesse ab errore Jansenij, per hoc præcisè quod firmiter credant, nos non peccare in transgressione præcepti, quod observare non possumus. Dux enim errores complectitur Jansenij sententia. Primus et capitalis error illius est, aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, et conantibus, secundum præsentem quas habent vires, esse impossibilia: desse quoque illi gratiam, quâ possible fiant: quam propositionem sub his terminis, temerariam, impiam, blasphemam, à anathemate damnatam, et hæreticam declaravit, et ut talem damnavit Innocentius X. Alter illius error est, quod eiusmodi impossibilitas servandi præceptum non excuset à peccato formalis; quia libera nobis est in peccato Adami. Quem errorem postea damnavit primo loco Alexander Papa VIII. inter eas

propositiones, quas temerarias, scandalosas, heresi proximas, erroneas, schismatas, et haereticas respective declaravit. Nam prima earum est haec. In statu natura lapsa ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa Libertas, quā voluntarium, ac liberum fuit in causā suā, peccato nimirum originali, et libertate Adamī peccantis.

Eodem pacto Jansenius docet, in statu natura lapsa dari saepe ignorantiam invincibilem divinae Legis, ac deesse etiam hominibus iustis gratiam, quā agnoscere possint ea omnia quae sunt ipsis iure natura prohibita. Eiusmodi autem ignorantiam non tollere quominus transgressio divinae Legis imputetur eis ad culpam, et aeternam poenam, quia voluntaria ipsis est in Adamo. Quern errorem pariter etiam damnavit Alexander VIII. his verbis propositum. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris natura, haec in statu natura lapsa operantem ex ipsa non excusat à peccato formali. Uterque igitur error cavendus est, et in neutro consentiendum Jansenio. Quare sicut absolute fatemur omnia Dei praecepta esse etiam pro hoc statu nobis possibilis. Ita etiam sine vllā restrictione dicendum videtur, omnia illa posse ad unumquemque sufficienter agnosci cum auxilio Dei, ad illa servanda, neque admittendam esse vllam huiusmodi divinae Legis ignorantiam insuperabilem, et invincibilem, sicut nulla est concupiscentia vis, quae cum adiutorio divinae gratiae nobis parato superari et vinci non possit.

Sed longè maior inscitia et temeritas eorum est, qui hanc ipsam doctrinam, quod scilicet in adultis ratione utentibus nulla sit ignorantia invincibilis divinae Legis ad unumquemque pertinentis, sed omnis ea sit vincibilis et culpabilis, id est, ex propria et personali culpa aut negligentia procedens, de Jansenismo notare audent. Constat enim hanc fuisse concordem veterum omnium Theologorum sententiam, ut testatur Person Lect. 4. de Vita Spirituali. Coroll. 3. his verbis:

quidquid

40

quidquid sit de ignorantia facti, et iuris humani, concors ta-
men Doctorum sententia est, nullam in his quae Legi divinae
sunt, cadere ignorantiam invincibilem; quoniam facienti,
quod in se est, Deus semper assistit, paratus illuminare men-
tem, quantum oportebit ad salutem, et erroris evitacionem. Re-
fert nominatim pro hac sententia Sazquez 1^a 2^a disp. 122. cap.
1. Alexandrum Alensem, Gratianum, Durandum, Alphonsum
de Castro, Personem, et alios, quos allegaverat disp. 120. nempe
Hugonem de S. Victore, Alsiiodorenseni, Albertum Magnum,
Gabrielem, Bonaventuram, Guilielmum Parisiensem, et Adria-
num. Eodem refert, allegando fideliter singularum doctri-
nam, sequiturque P. Paulus Comitolus Lib. 5. Resp. Moral.
quast. 1.

Inde P. Vincentius Contenson tom. 3. Theologia mentis
et cordis disert. 6. pag. 575. merito sane invehitur in Recen-
tiores quosdam importunos, et impertinentes, ut vocat, qui
argumentis destituti sententiam negantem dari ignoran-
tiam invincibilem Iuris naturalis, Jansenismi pueriliter in-
simulant. Et sicut icterio laborantibus flavus semper, et
ubique color occurrat, ita illi quantlibet sententiam suis la-
xitatum praedudicij adversam Jansenismi, et novi dogmatis
ineptissime notant. Equis autem patienter ferat de Jan-
senismo accusari doctrinam ab omnibus Theologiae lumini-
bus longe ante Jansenium unanimiter traditam? Num-
quid Jansenista fuerunt Alexander Alensis, Divus Thomas,
Divus Bonaventura, Scotus, Durandus, et caeteri omnes à P.
Sazquez relati? Quanta haec esset materia gloriandi, et
triumphandi Jansenistis? In summa, Jansenius cum Lu-
thero, et alijs haeticis non negavit, sed asseruit dari in hoc
statu natura lapsae invincibilem ignorantiam divinae Le-
gis: et tamen negare, quod detur eiusmodi invincibilis igno-
rantia, accusatur Jansenismi? Vah indignitatem! Sic il-
ludatur Ecclesia tribunalibus, ut contradictorium eius, quod
docuit Jansenius, accusetur tanquam Jansenismus?

Animadverti iam pridem Recentiores illos, qui vel vident, vel aversantur concordem illam veterum omnium Theologorum sententiam paulo ante ex Personae relatam, non satis eam calluisse, sed accipere in sensu omnino alieno, et suppressisse multa, quae nulli unquam Theologo in mentem venerint. Primo enim quidam eorum, cum audiunt nullam esse in hominibus ratione utentibus ignorantiam invincibilem iuris naturalis, statim existimant, per hanc sententiam asseri, quod unusquisque ratione utens etiam rudis, et illiteratus, facile possit universi iuris naturalis distinctam, et explicatam notitiam habere. Sic inter alios rem intellexit Christianus Aletinus in Opusculis de peccatis ignorantia; unde in ipso Proaemio de illis Doctoribus, qui, ut ipse ait, ingenti quodam ausu dicere ceperunt nullam esse ignorantiam iuris naturae, quae vinci non possit, quancumque quis violat naturae Legem: perinde, ac si hoc esset novum aliquod doctrinae monstrum, cum irrisione, ac detestatione in eos invehitur. Secundo alij existimant per eam sententiam asseri, quod saltem docti possint, ac debeant universum naturae ius sine ullo errore comprehendere, et alij tradere; atque hoc supposito vehementer irascuntur, et arguunt, ex eadem sententia fieri, quod omnes Doctores, qui contra Ius naturae aliquid ex errore docuerunt, vincibiliter erraverint, adeoque formaliter peccaverint, et si in tali errore perstiterint usque ad mortem, damnati sint.

Sed utraque est magna equivocatio, et valde sinistra intelligentia praedictae sententiae. Nam Theologi omnes, tam veteres, quam Moderni, qui docent nullam esse invincibilem ignorantiam Iuris naturae loquuntur expressè non de universo naturae iure, sed de illo tantum, quod ad singulos spectat, et pro eo tempore quo ad singulos attinet, ne in aliquo violent naturae Legem, sed ea omnia vitent, aut faciant quae Deus ab illis fieri, aut vitare praecepit. Hinc Comitolus Lib. 5. Res-

pons.

41

Respons. Moral. quæst. 1. proposita sententia veterum Theologo-
rum, quam ipse etiam maximè probat: nihilominus ex eo-
rum mente concludit: tametsi cuncta peccata mortifera,
à cunctis vitari debeant, nihilominus non esse necessarium,
omnia ab omnibus cognosci, ut admonet Alensis, Hierosidoren-
sis, alijsque. Et mox addit: in ijs, quæ aut divinâ lege, aut
naturalitèr constituta sunt, esse non pauca, quorum igno-
ratio non solum idiotis non nocet, sed nec etiam doctis; illud
provis persuadet, quod de rebus varijs, et maximis Principes
Theologorum, et viri sanctissimi controversantur, in quo
certamine necessum est, alterutram partem errare, nec
propterea vllò incitiâ crimine accusandos esse, quod in
ijs rebus incitiâ versatur, quas noluit Deus ab ijsdem
sciri necessario oportere.

Id inter alios expressè advertit Celladeus, et ex doctrinâ Divi Thomæ rem explicat Lib. 7. quæst. 4. S. 1. Lo-
quimur, inquit, de iure naturali, et divino ad unumquemque per-
tinente, et ubi, et quando pertinet: ità enim conclusionem cir-
cumscribimus. Undè non dubium, quin ego multa invenire ne-
queam, quæ ad Reges, quæ ad Iudices, Episcoposque spectant, atque
ità de alijs. Similiter aliud ad me modo pertinere potest,
non autem antea. Ex quo sequitur, aliquo demum vel exiguo,
vel maiori temporis intervallo scius determinatio illi relinqui-
da est, qui nos iudicabit) nos aliqua plura vel pauciora inve-
nire non posse, quæ absolutè ad nos et ad omnes pertineant; ea-
tenus tamèn propriè non pertinent. Etenim, ut S. Thomas de
credendis docet, tum credenda, tum operanda ordinem habent;
neque cum ad vrum rationis pervenimus, omnia vno momen-
to scire possumus, quæ proinde, nec vno momento nos omnia
obligant, et constringunt; estque suus ordo, et tempus, quod
ipse ille, quem versandum suscepimus, Evangelij textus sup-
ponit: quarite et invenietis; nam nisi tempore quæri nequit:
locus vero, et tempus quærendi, et deinceps invenienti, discendi,
et sciendi distant.

The text on this page is extremely faint and illegible, appearing as a series of horizontal lines of ghosting. It likely contains a list or a series of entries, but the specific content cannot be discerned.

42

Propositio Duodecima

Voluntas ea omnia re ipsa perficiendi, quae Deus re ipsa iussit, non esset appetitus rectus, sed temerarius presumptuosus, ac stultus. Item. Ille, qui auxilio Dei fretus absolute intendere, et expressè vellet exequi ea omnia, quae Deus re ipsa iussit, imprudenter faceret, neque id posset prudenter à Deo sperari.

Exhorruì planè ad hanc Terilli propositionem cum 1.^o illam apud ipsum Legi quæst. 41. de Regula Morum. n. 41. et n. 44. Reijcit ibi solidissimam Celladei doctrinam de virtute prudentia, et essentiali, et propria ipsius veritate, quam tradit Lib. 3. de Recta doctrinâ morum quæst. 3. S. 2. Vbi præclare docet veritatem rationis practicae activæ sive prudentiæ propriam, quam Aristoteles 2. Ethic. ait consistere in conformitate cum appetitu recto, intelligi de conformitate cum appetitu recto antecedenti: et appetitum illum rectum cum quo virtus prudentia in omni suo consilio et iudicio de rebus agendis consentit, nihil esse aliud quam amorem ultimi finis nostri, qui est Deus, et voluntatem efficacem exequendi omnia, quae Deus per Legem suam nobis præscribit, et iubet, tanquam media necessaria ad ipsum consequendum, et vitandi omnia, quae re ipsa nobis prohibuit, secundum illud: qui diligit me, sermones meos servabit. Hunc verò amorem, et affectum efficacem, non solum velle ea exequi, quae nobis quomodolibet occurrunt ut bona, et à Deo iussa, aut ea præcisè vitare, quae nobis occurrunt ut mala, et à Deo prohibita, sed ferri determinatè in ea, quae verè bona sunt, et mala odio habere. Intendit enim realem ipsam, ac veram Dei Legem, et voluntatem implere in omnibus saltem gravibus. Quod patet evidentè, quia intentio illa obligat, et efficaciter movet ad inquirendum diligentè, et videndum, quae sit re ipsa voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta, quanam sint in rei veritate à Deo præcepta,

et quanam prohibita; atque ad hunc finem adhibet omnem diligenti-
am humanam, et insuper Deum orat, ut notam sibi faciat
voluntatem suam, dicens cum Propheta Regio: doce me
facere voluntatem tuam. Iustificaciones tuas doce me.

Hanc ergo doctrinam, ita sanam, ita puram, ita Christiane pietati, ac
bonis moribus congruam, imò et unice tutam, et salutarem,
Terillus, ubi supra absolute damnat, ac reprobat, dicens, vo-
luntatem ea omnia re ipsa perficiendi, quae Deus re ipsa ius-
sit, non fore appetitum rectum, sed temerarium, presump-
sum, ac stultum. Et eum qui auxilio Dei fretus absolute in-
tenderet, et expressè vellet exequi ea omnia, quae Deus re ipsa
iussit, imprudenter facturum, neque id posse prudenter à
Deo sperari. Id quod hanc solam ratione probat: nam licet
unusquisque prudenter sperare possit se in rebus necessarij
necessitate medijs non erraturum; at si quis absolute spe-
raret, atque expectaret à Deo se nunquam, in iure vel in
facto erraturum, vanissime speraret, quia expectaret quod
Deus nunquam promissit.

Ego autem, ut dixi, ad hoc Terilli
assertum exhorruui plane, cum primo illud legi: et quo ma-
gis illud perpendo, eo magis horrore, et scandalo mihi est;
neque illius absurditatem, et horrorem vilo modo abstergit,
aut minuit, sed potius auget ratio quàm illud probat. Nam
primo quidem, secundum veriore, et concordem veterum
omnium Theologorum sententiam, quam expressè docet
uterque Doctor Eccleria, Angelicus, et Seraphicus, nulla est
ignorantia divina Legis, nulla conscientia erronea, quae
à peccato excuset id quod agitur contra Legem Dei; quia
nulla est quae vitari, aut caveri non possit, ac debeat. Re-
centiores autem Theologi, qui cum P. Sazquez docent dari
posse invincibilem ignorantiam iuris naturalis quoad
aliquas conclusiones remotas, quae in illo impliciter con-
tinentur, non ideo negant unumquemque teneri diligen-
tiam

fiam et studium adhibere, ut sciat, et possit vitare omnia sibi à Deo prohibita, et exequi ea quæ sunt præcepta. Nemo verò hæc hactenus dixit aut somniavit, eiusmodi conatum esse temerarium, et irritum ac stultum.

Neque vero id asseri potest absque magno errore. Si enim verum esset quod nemo possit prudenter velle scire, ac facere in omnibus, quæ Deus re ipsâ iussit, idque ab ipso Deo sperare: ergo frustranea erat illa Davidis intentio psalm. 118. ad omnia mandata tua dirigebar. Falsa et vana eiusdem persuasio, tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Frustræ erant aridæ illa orationes Apostoli ad Collos. 1.º non cessamus pro vobis, orantes, et postulantes, ut impleamini cognitione voluntatis eius in omni sapientiâ et intellectu spirituali, ut ambuletis dignè à Deo. Irrita, imprudens, et stulta erat assidua illa sollicitudo Sanctorum de quibus Augustinus Lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. ait, continuis excubare vigilijs; ne opinio verosimilis fallat, ne se tenebræ alicuius erroris offundant, ne quoddam bonum est, malum, aut quoddam malum est, bonum esse credatur. Imprudens erit ipsa et virtus prudentia, de quâ idem Augustinus Lib. 19. de Civit. Dei. cap. 4. ita pronunciat. Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur? Nonne totâ vigilantia suâ, bona discernit à malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis, nullus error obrepat?

Sane propositum inquirendi, sciendi, et exequendi ea omnia quæ re ipsâ unicuique à Deo mandata sunt, tam longe abest, ut sit temerarium, presumptuosum, ac stultum, ut potius sit necessarium omninò ad iustificationem. Nam ut rectè monet Andreas de Vega Lib. 6. in Trident. Cap. 32. Volunt etiam plerumque multi peccatores, imò et heretici, et infideles placere Deo in omnibus, et in nullo displicere, si sermonem referamus ad ea in quibus ipsi agnoscunt se placere, aut displicere. Sed dilectio Dei super omnia, au-

gustior

augustior est, et potentior, maioriq[ue] prorsus ambitus. Ex-
tendit se ad omnia precepta divina, et omnia Dei manda-
ta complectitur, et omnia exequitur, nihil preterit eo-
rum quæ prescripta nobis sunt. Quam se, latè Deus por-
ripit iubendo, tam vasta, et ampla est, ac prompta, et ex-
pedita ad obediendum. Qui illam habet, in omnibus, ad
quæ tenetur, verè et ex animo vult placere, et in nullo
eorum, quæ prohibita sunt, displicere. Ac proinde, vel ser-
vat omnia, vel certè facit, aut ea, quæ alicuius eorum te-
netur, ignorantia sit in ipso invincibilis, et sibi non impu-
setur.

In summa: si voluntas, et spes sciendi, et exequendi re ipsa
ea omnia, quæ Deus re ipsa iussit, non est appetitus rectus, sed se-
merarius, presumptuosus, et stultus; ergo aliqua precepta Dei
sunt hominibus etiam iusto ad observandum impossibilia et deest,
ipsi auxilium gratiæ, quæ possibilia fiant: quæ est hæresis in
Iansenio damnata. Abs re autem est probabilitatem, aut ig-
norantiam, et errorem etiam invincibilem, hic obtrudere. Nam
ignorantia precepti divini, aut error ei contrarius, non reddit
mihi possibile, quod Deus re ipsa iussit, sed ad summum me
in eius violatione excusat, ideoque dicitur violationem præ-
cepti esse dumtaxat materialem, non formalem: fatuitas
verò esset dicere preceptum restitutionis servari non resti-
tuendo, et contra ipsum preceptum re ipsa operando. Quam-
vis ergo aliquando, præter et contra intentionem, contingere
possit, ut aliquis inculpabiliter erret in Legge Dei, quod modo
transmittimus: tamen hæc debet esse intentio nostra, ut vo-
luntatem Dei, et Legem eius in omnibus agnoscamus, et im-
pleamus: id, quod per se loquendo possibile nobis est cum Dei
auxilio, et à Deo sperandum, cum ipse in Scripturis suis pas-
sim promittat lucem, scientiam, et intellectum, ut agnos-
camus ea omnia quæ à nobis fieri vult, ac iubet, si ex toto
corde queramus, præsemus, oremus.

Eiusmodi promissio Dei
quæ

quã universim de concedendã universim notitia plena divina
Legis omnibus inquirentibus illam, habetur clare, et expresse
Eccles. cap. 2. Qui timent Dominum, inquirent, quã benepla-
cita sunt ei: et qui diligunt eum replebuntur Lege ipsius.
Id est plenè eam inquirent, cognoscent, exequentur, et perfi-
cient; ut explicat ibi Cornelius à Lapide. Turrus. cap. 32. Qui
querit Legem, replebitur ab ea, et qui insidiosè agit, scandaliza-
bitur in eã. Qui timent Dominum, invenient iudicium ius-
tum, et iustitias quasi lumen accendent. Sibi per iudicium ius-
tum, ut ait idem Cornelius significatur id, quod præscribit aqua
Lex, et virtus, id quod iubet Sancta Dei mens, et voluntas.

Vnde S^{tu}s

Thomas Opusc 73. de usuris in proœmio probat, eum, qui verita-
tem divina Legis sincerè querit, et super omnia scire desiderat,
proculdubio illam assequuturum, quia hoc est à Deo promis-
sum. Omnis, inquit, homo à naturã non degenerans verita-
tem amat, quam si quis concupiscit vero corde, et eam quærie-
rit in simplicitate cordis sui; Ipsa se ipsam manifestabit,
et Deus, qui hoc promittit verax est, et eam præbet diligentibus
se, sicut scriptum est Sapient. 6. præoccupat eos, qui se
concupiscunt, ut illis se prior ostendat, et Eccles. 1. Fili concu-
piscens Sapientiam accede ad illam, et Dominus præbebit eam
tibi.

Item notitia Divina Legis ad unumquemque spectantis
est maxime illa Sapientia, de quã S. Iacobus cap. 1. ait: Si
quis indiget Sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus afflu-
enter. utique ijs omnibus, inquit Sanctus Augustinus Lib.
de nat. et Gratia. cap. 17. Qui sic petunt et tantum petunt
quomodo, et quantum res tanta petenda est. Hinc ipse Au-
gustinus Lib. de quantitate anime cap. 13. memorabilem
hanc sententiam pronuntiat. Fieri non potest quadam pro-
videntiã Divina ut Religiosis animis se ipsos, et Deum suum,
id est, veritatem piè, castè, et diligenter quærentibus, invenien-
dì facultas desit. Denique, ut innumera alia testimonia

Sanctorum Patrum omnium, Cardinalis Bellarminus Lib. 1.
de aeterna felicitate Sanctorum. Cap. 7. ex allegato S^ti Jacobi
Loco concludit, nullam in die iudicij futuram excusationem
iustam de ignorantia divinae Legis, sicuti nulla erit de infirmi-
tate, vel impotentia eam servandi: sic enim ait. Si quis ergo
indiget sapientia Sanctorum, et si quis pariter indiget dono iu-
stitid, postulet à Deo sicut oportet ex animo serio, gemitibus
inenarrabilibus, et securus accipiet; quia Deus dat omnibus
sic petentibus, neque ullum repellit, et non avarè, vel parcè,
sed affluentè; et non improperat quasi molestè ferens, si quis
frequentè petat. Quid hic dicemus? quis in Die Iudicij excu-
sare poterit ignorantiam, vel infirmitatem?

Videat igitur ac iudi-
cet Apostolica Sedes, an sit tolerandum in Ecclesia Dei, et non
potius execrandum, et anathematizandum quod dicatur, propo-
situm re ipsa perficendi cum auxilio divinae gratiae, quae Deus
re ipsa iussit, esse temerarium, praesumptuosum, ac stultum:
nec posse quempiam auxilio Dei fretum prudenter id velle,
et à Deo sperare; quia si absolutè expectaret à Deo, se nunquam
in ijs, quae Legis divinae sunt erraturum expectaret quod Deus
non promissit.

45

Propositio Decimatertia.

In quavis opinione etiam minus probabili et cognita ut tali,
continetur invincibilis ignorantia divina Legis, quae
a peccato excusat agentem contra illam.

Recentiores quidam Theologi laxiori suo Probabilismo nimis addicti tam longè ab illà veterum omnium Theologorum sententia recedunt, ut ignorantiam invincibilem divinae Legis ad, vixumquemque pertinentis, quam illi in hominibus ratione utentibus nusquam dari affirmarunt, ipsi passim admittant, et ubique supponant, imò, et in qualibet opinione etiam minus probabili, et Legi divinae contraria, invincibilem ignorantiam contineri dicant; ita ut à peccato excusetur etiam ille qui agnoscit probabiliter esse rem quam agit, esse divinam Legem prohibitam: eos vero, qui oppositum docent, etiam de Jansenismo notant.

Huiusmodi extravagantia primus Author fuit Ioannes Caramuel in Apologemate pro antiquissimo usu probabilitatis, ubi Illustrissimum Fagnanum palam de Jansenismo notare ausus est, eo quod neget licitum esse usum cuiuscumque opinionis probabilis minus tute, et ad rectè operandum requirat opinionem notabiliter probabiliorum et moraliter certam de honestate actus: Undè nimis audacter et temere pronunciavit, hanc eius doctrinam esse hereticam, adeoque Illustrissimum Fagnanum hereticum esse, non quidem formalem, sed materiale; eo scilicet modo, quo de Lutheranis ipsis, qui suam sectam veram esse putant, similiter ait, non formaliter, sed materialiter damnat esse hereticos. Et merito propter huiusmodi extravagantiam, et alia paradoxa, prohibitum fuit ipsius Apologema ex Decreto Sanctae Romanae Inquisitionis.

Sed nihilominus post damnatum Caramuelis Apologema, Ferillus in ipsa Praefatione magni sui Voluminis de Regula Morum, illud idem

principium à Caramuele positum, quod in qualibet opinione probabili de non Lege, continetur invincibilis ignorantia Legis, approbat, et statuit, ut certum. Ex quo infert sententiam, que negat licitum esse usum opinionis minus probabilis, et minus tuta, et ab Operante cognita, ut talis, non aliam matrem habere quam heresim Jansenianam. Refert enim primo ex eodem Caramuele, Libertum Fromundum inter Jansenianæ doctrinæ Assecclas, ut ait, Coriphæum, cum iam mortuo Jansenio executores testamenti de clandestinâ eius Augustini editione secretissimè agerent, ut viam superventuro aperiret errori, aut verius, ut illum disseminaret, has novas propositiones conatum esse in Scholam protrudere: Probabilitatum usus est res nova. Non potest non condemnari apud Deum qui relinquentes viam tutam insistit opinioni probali. Opiniones, que dicuntur aut sunt probabiles apud nos, non erunt probabiles apud Deum. Quæ considerata Authoris intentione æquivalent huic: ad securitatem conscientia non sufficit vlla opinio probabilis.

Premiâ verò istâ Caramuelis relatione, ipsiusque iudicio, quasi decisivâ sententiâ, et irrefragabili authoritate fretus, subdit Terillus. Hic habes originem doctrinæ, et opinionis novæ quæ asserit nemini licitum esse sequi partem minus tutam, quamvis probabile sit illam non esse prohibitam; certum enim est talem doctrinam antea à Scholis ut falsam exulasse. Itaque hæc Adversariorum sententia unâ cum Jansenismo nata est, imò aliam Matrem non agnoscit, quam heresim Jansenianam; quia primi Asseccla, et Evulgatores Jansenismi, ideo cuderunt hanc opinionem, ut sic suos errores sub prætextâ veritatis specie, ignorantibus facilius obtruderent. Hæc mirum: cum enim heresim Janseniana doceat aliqua Dei præcepta esse hominibus iustis impossibilia, idque ex eo potissimum probare contendant Jansenista, quod Deus strictè exigat, ut homines

omnia

46

omnia naturalia praecepta sub penâ damnationis aeternae
re ipsâ impleant. Inde statim inferunt ignorantiam, etsi
invincibilem, neminem excusare à peccato, si quidquam re
ipsâ fiat contra Legem naturae; adeoque neque ullam pro-
babilitatem posse sufficientem excusationem afferre, modo
quis re ipsâ erret, et ponat illud quod Deus Lege naturae vetuit.
Ecce Jansenismus necessario infert probabilitatem non ex-
cusare à peccato, saltem circa objecta, quae in re naturae sunt
prohibita. Proinde rectè dictum est, hanc sententiam aliam
matrem non habere, quam haeresim Jansenianam. Hacten-
us ille.

Ceterum evidentissimè constat Caramuellem in hoc
maximè hallucinatum esse quod existimaverit in tribus illis
propositionibus Liberti Fromundi, quas refert, contineri quod
illa nullo modo praeferunt, scilicet nullam opinionem posse
esse rectam et tutam conscientiae regulam. Nam prima
illa propositio: probabilitatum usus est res nova, manifestè
procedit de illimitato cuiuslibet probabilitatis usu; non
enim dicit novum esse quod liceat sequi opinionem vere pro-
babilem, eamque ut probabiliorum et veram ab Operante pru-
dentè existimatam, sed quod liceat sequi quamlibet opinio-
nem, et si minus probabilem, et minus tutam. De quo etiam
manifestè procedit secunda propositio, scilicet, non posse non
condemnari apud Deum qui relinquens viam tutam insis-
tit opinioni minus probabili, quae quidem minimè falsa, aut
nova, sed verissima^{est}, et ab antiquis Theologis unanimiter tradi-
ta, ut vel ex solo testimonio insignis Theologi Antonij de Cor-
duba, satis constat; siquidem in suo Questionario Venetijs
edito anno 1569. Lib. 2. quest. 2. cum asseruisset in concur-
ru opinionum pro Lege, et contra Legem, sequendam esse sub
peccato probabiliorum pro Lege, continentèr subdit, et in hoc
omnes Doctores consentiunt. Tertia vero illa: opiniones quae
dicuntur, aut sunt probabiles apud nos, non erunt probabiles
apud Deum: verissima quidem est de omnibus opinionibus

falsis, quæ à Legge divinâ discordant. Quid enim evidentius quam Deum non posse errare approbando ut verum, quod est falsum, sicut homines passim in eo decipiuntur et errant? Hoc autem idem est, ac non esse probabile apud Deum, quod apud nos probabile est. Itaque ex illis propositionibus solum inferitur, quod ad securitatem conscientia non sufficiat quævis opinio seu vera seu falsa, non vero quod nulla sufficiat, etiam si vera sit, et recte rationi, ac Legi divinæ conformis.

Terillus autem non solum ratam habet hanc vanam imaginacionem Caramuelis, et ait, certum esse talem doctrinam antea à Scholis ut falsam exulasse, et unâ cum Jansenismo natam esse, id est, quod non liceat sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam, sed ad hoc confirmandum quod est notoriè falsum notorietate facti, intolerabilem alium errorem supponit, dicens quod Jansenista ex eo potissimum probare contendunt aliqua Dei præcepta esse hominibus iustis impossibilia, quod Deus strictè exigat, ut homines omnia naturalia præcepta sub penâ damnationis æternæ re ipsâ impleant. Cum tamèn certo constet, non aliquod Jansenistarum proprium, sed Catholicum potius dogma esse, quod Deus strictè exigat ab hominibus ratione utentibus, ut præcepta omnia quæ ad singulos pertinent, sub penâ damnationis, nullo excepto, servent, iuxta illud Domini Matth. 19. si vis ad vitam ingredi, serva mandata: neque sufficere ad salutem aliquorum mandatorum observationem, sed necessariam esse integram observationem Decalogi, quia, teste S^{to} Jacobo cap. 2. quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus.

Sed neque Jansenista unquam ex eo probant aliqua Dei præcepta esse hominibus iustis impossibilia, quod Deus strictè exigat ea omnia sub penâ damnationis æternæ servari, ut falso, et pro libito illis imponit Terillus, sed tota heresis Janseniana, ut sciunt omnes, nata est

est ex eo quod Jansenius praesente Luthero, Calvino, et Baio, credidit per peccatum Adae extinctum esse liberum arbitrium, sublataque a nobis omnem Libertatem indifferentia ad bene vel male agendum. Id quod ipse unice, aut potissime probare conatus est ex discrimine illo quod statuit inter adiutorium gratiae quo indigebat primus homo in statu innocentiae, et illud adiutorium, quo indigemus in statu naturae lapsae. Nam adiutorium primi hominis vocat adiutorium sine quo non posset bene velle, aut facere primus homo, sed tale ut influxus eius in Opus ab ipso liberae voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa Libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: adiutorium vero lapsi hominis vocat adiutorium quo invictissime fit ut homo velit, ita ut adiutorium gratiae in hoc statu nullum sit nisi efficax. Eius vero efficaciam explicat per excessum delectationis Coelestis supra delectationem terrenam: id intelligens de solâ delectatione indeliberatâ, et in hoc sensu accipiens verba illa Augustini: quod enim amplius delectaverit, secundum id operemur necesse est.

Hinc ergo Jansenius intulit errores omnes suos, de impossibilitate praeceptorum, de efficaciâ irresistibili omnis gratiae interioris in statu naturae lapsae &c. Nunquam vero Jansenista somniarunt, nec ex eo probant aliqua Dei praecepta esse hominibus etiam iustis impossibilia, quod Deus exigat ea omnia sub penâ damnationis aeternae re ipsâ impleri, sed unice ex eo quod illis saepè desit adiutorium gratiae necessarium ad ea implenda absque vllâ culpâ suâ actuali, scilicet in penam solius peccati Originalis iam remissi; quo sanè turpissimam inconstantiam, infidelitatis, iniustitiam, et crudelitatis labem Deo per summum nefas adscribunt.

His positis, videtur sanè supradicta propositio in qualibet opinione etiam minus probabili de non lege continetur invincibilis ignorantia Legis, quae à peccato excusat

agentem contra illam, damnari, et prohiberi debere ab Apostolicâ Sede, tanquam falsa, temeraria, et scandalosa, ac bonis moribus perniciosissima. Primo. Quia nova est et temere ac sine ullo fundamento conficta acceptio ista ignorantia invincibilis, ut omnis ille dicatur invincibiliter ignorare divina Legis præceptum, qui non habet illius cognitionem certissimam, vel fide divinâ, vel evidenti demonstratione comparatam, etiam si probabilius esse agnoscat re ipsâ dari Legem Dei prohibitivam actus. Nam in usâ communem Theologorum omnium explicationem et sensum, ignorantia Legis tunc solum dicitur invincibilis, quando neque certo, neque probabiliter, neque ullo modo, etiam post adhibitam diligentiam agnosci potuit, aut potest; ideoque à Divo Thomâ et alijs passim dicitur ignorantia totalis; quia omnem prorsus de prohibitione, aut malitiâ Operis cognitionem excludit: et propterea etiam dicitur totaliter, et omnino involuntaria, et inculpabilis, quia voluntas ex defectu diligentia debite nullam ei causam dedit.

Tam longè autem abest, ut qui spontè ac libere agit quod probabile, aut probabilius agnoscit esse malum, à peccato excusari possit titulo ignorantia invincibilis, ut potius ille certo peccare dicendus sit, non ex ignorantia, sed ex malitiâ; non enim ignorantèr, sed scientèr peccat, et voluntariè Legem Dei contemnit, qui ultro eligit opinionem minus sibi probabilem, libertati et cupiditati suæ faventem, contra eam, quam probabiliorè esse agnoscit stantem pro Lege. Itaque Recentiores illi Probabilistæ, qui Caramuellem secuti usum cuiuslibet opinionis minus tutæ, et minus probabilis excusare contendunt prætextu ignorantia invincibilis, ne quidem satis calluerunt statum celeberrimè huius questionis de opinione probabili. Nam dum quæritur, an sit peccatum sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam relicta probabiliore, et tutiore, non agitur de peccato ignorantia, sed, sed de peccato formali. Et omnes illi Theologi qui docent peccare illum, qui sequitur minus tutam, et minus sibi

de peccato malitiæ, nec
de peccato solum mate-
riali;

sibi probabilem, non dicunt eum peccare ex ignorantia culpabili, si forte contingat, opinionem, quam sequitur esse falsam; sed dicunt peccare ex malitia, et mala fide procedere, et contra propriam conscientiam agere, atque adeo peccare semper ex hoc modo agendi, etiam si forte contingat opinionem, quam sequitur esse veram, et opus ipsum non esse ex genere suo peccatum, neque ipsa à Deo prohibitum.

Secundo. Quia multi ex ipsis Probabilistis sponte fatentur, quod licet in casu duarum opinionum aequae probabilitatis, pro Lege, et contra Legem, non possit intellectus alterutri earum assentiri, cum neutra ex illis apparet magis vera quam falsa: at verò quando probabilitas unius est maior quam alterius, tunc indubitatum esse, absolute, ac prudenter posse intellectum iudicare veram opinionem stantem pro Lege, quam omnibus inspectis videt esse notabiliter probabilior, quam sit opposita. Quis autem dicat invincibiliter ignorari Legem Dei prohibitivam alicuius actionis, ab eo qui vel actu iudicat, vel prudenter iudicare potest Legem dari, et neque prudenter, neque ullo modo potest iudicare oppositum?

Tertio. Quia ex predicta propositione sequuntur innumera ^{† ab iurda} tam in materia fidei, quam morum. Quod enim ignorantia invincibilis quaecumque sit, seu iuris, seu facti semper, et ubique excuset à peccato, certum est apud omnes Catholicos dogma: si ergo aliunde asseratur in quilibet opinione etiam minus probabili pro libertate humana, contineri ignorantiam invincibilem Legis, planè sequitur, quod ab infidelitate excusabitur infidelis ductus opinione minus probabili: quae est propositio damnata ab Innocentio XI. Sequitur etiam, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem in iure: quod pariter ab eodem Pontifice damnatum est, ut minimum, tanquam scandalosum, et in praxi perniciosum.

Denique certissimum

est eum qui ex ignorantia et conscientia erronea vincibili operatur re ipsa contra Legem, peccare formaliter, licet actu non videat, nec vlllo modo advertat se contra Legem facere, ut constat ex dictis supra ad 3.^{am} et 4.^{am} propositionem; quia nimirum licet ille actu non videat, nec vlllo modo advertat se contra Legem facere, tamen id providere potuit, ac debuit, et error est ipsi voluntarius indirecte, et in sua causa, scilicet in negligentia inquirendi veritatem, et sciendi Legem Dei, quam scire tenebatur. Ergo multo magis censenda est libera, et voluntaria transgressio divinae Legis, quando quis sponte eligit illud quod actu agnoscit probabilius esse, quod sit Lege divina prohibendum, et absolute ac prudenter iudicare potest re vera esse malum, neque potest vlllo modo iudicare oppositum.

Apparet ergo manifeste neminem posse vere, et coram Deo certificari, quod in hoc, aut illo actu suo non peccet, quando vel aequa probabile, vel probabilius esse agnoscit talem actum esse a Deo prohibendum, allegando, quod Lex eum prohibens etiam si re ipsa detur, invincibiliter ipsum lateat. Nemo enim sanus videtur haec iudicia in conscientia formare posse; sive hic contractus sit malus, et a Deo prohibitus, sive non, ego illum faciendo, non pecco. Licet nesciam, an re ipsa operer contra Legem Dei, scio tamen me non peccare. Tametsi hic contractus re ipsa sit usurarius, et contra Legem Dei, ego tamen non pecco. Et si quis ita dicenti intimet, teneris formare dictamen conscientiae, et inspicere, an quod acturus es, sit contra Legem Dei: videtur neminem sane mentis respondere posse: ego ad conscientiam de hoc formandam non teneor. Hoc enim perinde esset ac dicere, mea Regula non est Lex Dei: si enim est, iuxta eam operari teneris, et de ea in primis formare dictamen

Et profecto qui prescindendo a conformitate, vel repugnantia, vel repugnantia actionis cum divina Lege, conscientiam

conscientiam suam format, vel formare affectat de honestate actus, vel saltem de suo non peccato, dicendo: sive contractus sit re ipsa contra Legem Dei, sive non sit, ego cum inveniundo non pecco: hoc ipso perversè operari convincitur; nam vult assumere pro regulâ suâ honestatis, vel non peccati, aliquid aliud quomodolibet vocatum, à Legge Dei distinctum, et ab illâ independens: hoc autem idem est, ac velle sibi confingere aliquam primam et non subordinatam regulam, quam vult esse indefectibiliter rectam, sive sit iuxta, sive sit contra Legem Dei re ipsâ: quod est aliquid non divinum divinitate donare velle, et illud veluti quoddam idolum colere.

Dicunt Authores supradictæ propositionis, Deum ipsum per Legem suam reflexam à directâ distinctam, quâ de rebus statuit non primo et per se, sed secundario, et per accidens, ac dependentèr ab erroribus, et opinionibus nostris, indulgere hominibus, ut in casu opinionis æquè aut minis probabilis pro libertate, quæ certo possidet, quando lex est incerta, possint formare sibi conscientiam, quâ certi reddantur, se tuto agere id quod probabile est esse licitum, licet æquè probabile aut probabilius eis videatur esse directe à Deo prohibitum. Sed constat ~~eiusmodi~~ eiusmodi concessionem, et indulgentiam esse novam, et inane commentum pro libito ab ipsis confictum, ac Deo summe iniuriosum. Nam hoc quid aliud esset, quam indulgere hominibus, ut Legem ipsam Dei, directam, et primariam, id est, eam quæ in Scripturis divinis proposita omnibus est, et ab Ecclesiâ traditur, liberè ac voluntariè contemnant, et nullâ habitâ ratione ipsius, pro regulâ suorum actuum sibi assumant quamlibet opinionem probabilem, seu veram, seu falsam, non curando, sed negligendo, an talis opinio et actio per eam regulata consentiat cum Legge directâ Dei vel non? Hoc autem esset concedere licentiam peccandi: quod patet esse alienissimum à Sanctitate divinâ.

Illud autem, quod insinuant

de possessione libertatis humana quando Lex Dei est incerta,
frivolus est, et implicatorius, quia pugnantia inter se com-
plectitur. Libertas enim moralis, id est, licite aliquid agendi,
(de qua vnicè loquuntur, si loquuntur ad rem) in ea posita est,
ut homo Lege non adstringatur. Eiusmodi ergò libertatem
nemo possidet, nisi quando nulla extat Lex eum obligans;
non ergo potest certa esse possessio Libertatis, nisi certum
sit non extare Legem. Quomodo autem certum esse potest
non extare Legem, quando supponitur aequè probabile, aut
probabilius esse, Legem extare? Ergò pugnantia loquuntur,
dum quasi rem certam statuunt hominem esse liberum
à Lege, et simul ponunt incertum esse, an Lege teneatur,
imò et aequè probabile, aut probabilius esse quod teneatur.

Sed nequa

de hac possessione libertatis modo agimus; agimus tantum
de artificio illo quo Terillus, et eius Asseda probare nituntur, in
qualibet opinione etiam minus probabili contra divinam Le-
gem contineri ignorantiam invincibilem Legis: ita ut quo-
ties datur opinio probabilis dicens, talem contractum esse lici-
tum, quamvis adsit probabilior aliorum opinio dicens, contrac-
tum esse usurarium, possit unusquisque coram Deo iustifica-
ri ac dicere, se in eo contractu non peccare, quia Lex illum pro-
hibens non satis est ipsi proposita, et intimata, sed invincibili-
tèr eum latet. Hoc enim artificio merito alij prudentissi-
mi et Religiosissimi Authores non verentur absolute vocare ar-
tem cum Deo cavillandi, artem illudendi præceptis divinis, artem
peccandi fucatam &c. Itaque Apostolica Sedi supplicatur, ut digne-
tur inspicere, an supradicta propositio prohiberi, ac damnari debeat,
tandem falsa, temeraria, et scandalosa, ac bonis moribus per-
niciosa. Optandum verò insuper est, et à Sanctitate Sua suppli-
citer etiam petitur, ut simul cum istà propositione, si dam-
nanda ipsi videbitur, prohibeat quoque, ac damnet iniustissi-
mam illam Censuram, quâ Caramuel et Terillus oppositam sibi
in hac parte sententiam de Jansenismo, et heresi notant.

Propositio Decimaquarta

Qui negat licitum esse in moralibus sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam, impingit in heresim Jansenianam de impossibilitate praeceptorum, et de ignorantia invincibili non excusante à peccato.

Certum est, quod talis opinio non aliam matrem habeat, quam heresim Jansenianam.

Vidimus iam in precedenti propositione, quomodo Caramuel in suo Apologemate pro antiquissima doctrina probabilitatis, falso supponens, propositiones quasdam Liberti Fromundi, quas refert, excludere à regula conscientiae non solum opinionem aequè aut minus probabilem, et minus tutam, sed omnem prorsus opinionem probabilem etiam re ipsa veram, et prudenter ab Operante iudicatam absolute veram: pro certo asseruit sententiam, quae negat vnum cuiuslibet opinionis etiam minus probabilem, et minus tute, impingere in heresim Jansenianam de Impossibilitate praeceptorum, et de ignorantia invincibili non excusante à peccato. Unde ausus est dicere, Illustrissimum Fagnanum fuisse in hac parte haeticum, non quidem formalem, sed materiale: eodem prorsus modo, quo de Lutheranis, qui suam Sectam veram esse putant, ait non formaliter, sed materialiter dumtaxat esse haeticos. Vidimus etiam Terillum ex eodem Caramuelis principio, quod in qualibet opinione probabili de non Lege continetur invincibilis ignorantia Legis, intulisse sententiam, quae negat licitum esse vnum opinionis aequè aut minus probabilem, et minus tute, novam esse, et à Jansenistis fuisse primum inductam, cum antea à Scholis exulasset, neque aliam Matrem habere, quam heresim Jansenianam.

Supplicatur ergo SS. mo Dno N. Clementi XI.

ut eiusmodi Censuram per se ac seorsum à precedenti propositione sumptam, abolere ac damnare dignetur. Incredibile enim est, quam gravia, et horribilia damna in Ecclesia Dei ex hoc

errore sequuta sint, et quotidie nascantur et crescant. Nam vulgares quique Probabilista, quorum maxima turba est, leviter, ac sine ulla discretionem, temerario huic Caramuelis, et Terilli iudicio fidem habentes, passim voce, et Scripto Iansenismi insimulant eos omnes, qui negant licere sequi quamlibet et cuiuslibet opinionem minus probabilem, et minus tutam. Unde plura fidei Catholica dogmata, vel ex principijs fidei evidenter demonstrata, et theologicè omninò certa, videmus passim accusari tanquam Ianseniana, et haeretica: et è contrà, haeticorum errores ab Ecclesià damnatos per summam imperitiam, et ignorantiam, tanquam fidei dogmata intra Ecclesiam disseminari, non sine magno ipsius fidei detrimento, ac perversione totius divinae Legis; et cum gravissimà antiquorum omnium Theologorum, et Ecclesiae Doctorum iniurià, ac certà innumerabilium animarum perniciè, et aeterna salutis iacturà. Id quod ex precedentibus propositionibus manifestissimè constat.

Nam ut ab hac ultimà incipiam, receptissima semper fuit in Ecclesià Dei, et à Patribus, et Theologis omnibus unanimiter tradita ab initio Ecclesiae usque ad finem saeculi XV. peccare graviter, et contra propriam conscientiam agere, qui in contradictione opinionum spontè sequitur eam, quae propriae libertati, et cupiditati favet, contra eam, quam ipsemet novit, vel probabilior, vel aequè probabilem esse, quae docet rem esse divinà Legge prohibitam. Et tamen haec ipsa tam antiqua doctrina et pacificè regnans in Ecclesià Dei per quindecim saecula, tanquam nova accusatur, neque aliam matrem habere dicitur, quam heresim Iansenianam: unde plures gravissimi Theologi, non solum pietatis, ac doctrinae praestantia, sed etiam gradu, ac dignitate in Ecclesià Dei conspicui, pro antiquà sententià pugnantes, cum Novatoribus annumerati sunt, atque inter alios Rev. ^{mus} Fr. Ferrus Donzalez Praepositus Generalis Societatis Iesu publicè in Gallia diffamatus aliquando fuit tanquam Iansenista.

51

Dari peccata per ignorantiam, et errorem com-
missa, à nescientibus malum esse quod faciunt, imò et positivè
arbitrantibus se in eo obsequium præstare Deo, et rem ei gratissi-
mam facere: quòd ex Scripturis divinis aperte constat, et gra-
vissimi Theologi de fide esse testantur, à quibusdam modernis
Probabilistis, tanquam heresis Jansenistarum propria accusa-
tur; et à multis eorum in Scholis ac Libris publicè luci datis,
tanquam dogma Theologicum traditur, neminem unquam
peccare posse formalitèr, et imputabilitèr absque actuali cons-
cientiæ remorsu, id est, absque aliquo scrupulo, dubitatione, vel
suspensione, quâ Operans dubitet, num id quod agit, peccatum
sit, et stante hâc dubitatione, expresse advertat, se peccare,
nisi actum suspendat. Quæ doctrina à Confessarijs parum
peritis pro regulâ in praxi servatur, qui dum penitentes
aliquid gravum se fuisse fatentur, interrogant eos, nunquid
adverterint, nunquid existimaverint, se peccare? Et si di-
cant, id se non cogitasse, statim sine ulteriori examine
ab omni culpâ et penâ, ab omni vitæ ac simoniæ tæbe, ab
omni irregularitate, et ab omni Censurâ Ecclesiasticâ im-
munes pronuntiant. Ex quo innumeras Confessiones non
solum invalidè, sed etiam sacrilegè fieri: et plures Chris-
tianos esse, qui gravibus peccatis obstricti ex ignorantia
et conscientia erroneâ de suâ æternâ salute securi vivunt,
cum tamen in mortem et perditionem eant, ipsi etiam
in Ecclesia Dei probatissimè Librorum Spiritualium
Authores sæpè testantur, ac dolent

Solam Dei Legem et vo-
luntatem esse primam et universalem regulam totius
rectitudinis humanorum actuum, fide certum et lu-
mine ipso naturali notum est, non minus quam Deum
esse primum principium, et ultimum finem nostrum,
ac beatitudinem. Cum hoc verò principio manifestè co-
nexum est, solam doctrinam, et opinionem veram de mo-
ribus, quæ cum Lege ac voluntate Dei concordat, et ei

confirmatur, esse rectam regulam morum; falsas vero opiniones hominum, quae ab illâ discordant, et aberrant, nullatenus posse esse regulam bonitatis moralis, et rectitudinis humanorum actuum. Et tamen quod non sola ratio, et opinio vera, sed etiam fallax, et falsa, si probabilis, aut probabilior fallaciter appareat, sit recta regula morum, tanquam certum, et indubitatum habetur ab eisdem Probabilistis, imò et ab Alexandro VIII. declaratum esse supponitur, non sine gravissimâ ipsius Apostolica Sedis iniuriâ.

Haereticos, et Schismaticos omnes extra statum salutis esse, et qui extra Ecclesiam Catholicam presentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros, id firmissimè tenendum, et nullatenus dubitandum esse, traditum semper est ab Ecclesiâ, et saepe definitum, tanquam articulus fidei. Et tamen haereticos Lutheranos, et Calvinistas &c. qui à fide totius Ecclesiae Catholicae ac Romanae, scienter dissentiunt, et non se ipsos, sed Ecclesiam errare putant, multi iam ab omni culpâ, et penâ heresis liberant, et in statu salutis constituent, nec eos formaliter, sed materialiter dumtaxat haereticos esse, dicunt: formaliter autem Ecclesia Catholica filios, neque in foro interno et coram Deo excommunicatos censeri debere, licet eos Ecclesia publice quotannis excommunicatos declaret. Schismaticos vero Graecos, quos ignorantissimos esse dicunt, per hanc suam ignorantiam excusari à peccato, et salvos fieri posse supponunt: et quia ego in tractatu de fide quem in Collegio Romano dictavi, oppositum firmissimè tenendum esse asserui, gravem quorundam indignationem, et aversionem passus sum.

In adultis ratione utentibus nullam esse invincibilem ignorantiam iuris naturae, et sic nullam esse, quae à peccato excuset, si quid fit contra naturam Legem

Legem, concors fuit antiquorum omnium Theologorum
 sententia, teste Bertone. Lect. 4. de vita spirituali. Corol. 3.
 Atque inter eos Divus Thomas Quodlib. 8. art. 17. univer-
 sim statuit tanquam principium indubitatum: illud
quod ex ignorantia, vel errore contrario divina Legi, agi-
tur contra Legem, semper esse malum, neque excusari
per hoc, quod est secundum conscientiam. At Moder-
 ni Probabilista non solum passim admittunt, et pro-
 certo supponunt ignorantiam invincibilem divina
 Legis ad unumquemque pertinentis, sed multi etiam
 dicere, et scribere ausi sunt, Divum Thomam in hac
 parte Jansenistis favere, aut praevisse; alij autem
 aiunt, non esse litteraliter accipiendum, quia Littera
occidit. Neque solum admittunt invincibilem igno-
 rantiam quarumcumque verum particularium iu-
 ris divini, tam in Materia fidei, quam morum, sed
 dicunt, eam dari semper ac datur aliqua opinio etiam
 minus probabilis, falsa, et Legi divina contraria,

Aliquam
 existentia Dei notitiam omnibus etiam Gentilibus et Ethni-
 cis a primo usu rationis innatam esse, et sic nullum homi-
 nem esse rationis compotem, qui prorsus Deum ignoret vna-
 nimiter tradunt omnes S^{ti} Patres, qui propterea dicunt cogni-
 tionem unius Supremi numis cunctis esse a Deo insitam,
ingenitam, implatam, et ut ait Damascenus Lib. de fide
 cap. 3^o inseminatam, et Tertullianus ait. conscientiam Dei
dotem esse anima a principio. Ciprianus vero, hanc esse
in Gentibus summam delicti, eam nescire velle, quem igno-
rare non possunt, Augustinus autem tract. 106 in Ioan-
 nem, hanc esse vim vere Deitatis, ut creatura rationali iam
ratione utenti, non omnino, ac penitus possit abscondi. Et
 tamen ego ipse cum primo in Hispania capi Theologiam
 docere, quia ad explicandam definitionem peccati ab Augus-
 tino traditam, dictum, factum, vel concupitum, contra Le-
gem

Legem Dei æternam, firmiter asserui, nullum posse dari peccatum, quod non sit Dei offensa, et iniuria, ac proinde criminereum esse illud peccati genus, quod pure philosophicum dicitur, scilicet cum omnimodâ, et invincibili ignorantia Dei commissum, de Iansenismo ab aliquibus insinulatus sum. Et quod plus est, Magister ille Theologie, qui præclarissimum Opus Celladei de Rectâ doctrinâ Morum ad Tribunal Sacre Inquisitionis Hispaniæ detulit hanc etiam eius propositionem ex Lib. 7. quest. 12. S. 8. excerptam accusavit Infidelem quemque inexcusabiliter obligatum ad fidem cultumque unius veri Dei. Existimavit enim in Infidelibus, quibus non est prædicata Christiana Religio, ignorantiam unius veri Dei sæpe saltem esse omnino invincibilem, et involuntariam, et sic non posse Infidelem quemque dici inexcusabiliter et sub peccato obligatum ad fidem et cultum unius veri Dei, nisi incidendo in errorem Baij, et Iansenij de ignorantia invincibili non excusante à peccato. O Deus meus! Ita ne ad vitandam Iansenismi notam, Opus nobis est, ut admittamus in pluribus rationis vrum habentibus invincibilem ignorantiam Dei, ac totius Divina Legis, et fateamur plures esse inculpabiliter Atheos, et beneficio sui ipsius Atheismi reddi omnino impeccabiles, ita ut quodcumque malum grave faciant, nunquam tamen Deum offendant?

Denique ut alia prætermittam, Catholicum dogma est, Deum non posse esse Authorem erroris, et neque per se, neque per alium testari falsum, aut inspirare alicui, ut mentiatur, et peiret, et interpositâ ipsius Dei auctoritate, alios decipiat, aut fallat. Sicut enim Deus, quia summa bonitas, et sanctitas est, non solum peccare ipse nequit, sed nec potest esse alteri causa peccandi propriè et per se: ita cum sit prima veritas non solum non potest ipse aliquid falsum dicere ac mentiri, sed neque vllò modo potest esse alteri causa ut mentiatur et alios decipiat, et in errorem inducat. At multi, et præcipui

ex modernis Probabilissimi assertoribus, non solum spontè
concedunt, Deum dispensare in mendacio, et periurio, cum his
quì ex ignorantia et errore putant se teneri ad mentiendum,
et peierandum, ut sint in eo ab omni culpa immunes, sed po-
sitive illis precipere, ut mentiantur, et interposito Iuramen-
to confirmant falsum; et aiunt usque adeò non esse absurdum,
ut Deus sit Author, et remunerator mendacij, et periurij, et
cuiuscumque etiam heresis, et falsæ Religionis, ut hoc non
possit sine absurditate negari; ut constat ex dictis supra in
propositione & quo non solum tollitur necessitas veræ fidei
ad salutem, sed tota etiam ipsius infallibilis certitudo et au-
thoritas.

Propositio Decimaquinta.

Ad rectè operandum non sufficit opinio vera, ac Legi Dei conformis, et absque omni dubitatione, et ambiguitate ab Operante existimata vera, sed requiritur ultimum dictamen conscientia metaphisice certum, et evidens de honestate formali Operationis.

Mirabile plane est, quod Recentiores Probabilista ex unâ parte velint ad rectè operandum sufficere quamlibet opinionem etiam falsam, et Legi divina contrariam, dummodo probabilis sit, et ex aliâ parte requirant ultimum conscientia dictamen omninò certum, et evidens de honestate formali Operationis, ita ut serò quoque affirmare audeant, nos omnes, qui laxiorem eorum Probabilismum rejicimus, laxiores tandem esse, quam illi sint: scilicet, quia nos ad rectè operandum sufficere dicimus opinionem re ipsâ veram, et quæ vera esse absolute censeatur ab Operante absque vlla dubitatione de opposito, quamvis non absque omni formidine Logicâ, quæ propria est opinionis prout à scientiâ distinguitur. Illi autem de veritate opinionis et honestate obiectivâ Operis, nullam omninò curam habent, sed de solâ probabilitate opinionis, quam, quam volunt esse rectam conscientia regulam. At verò nisi ultimum iudicium conscientia super æquali, aut minori probabilitate directâ sit certum et evidens et exclusivum omnis formidinis de honestate Operationis Operantem non excusari à peccato.

Et quidem Terillus non vult, ut sufficiat iudicium moraliter certum, sed insuper ait, et late docet quest. 3. de conscientia à n. 24. debere esse omninò infallibile ex parte obiecti, et etiam ex modo tendendi certum, et evidens, et quidem metaphisicè evidens. Undè et quest. 27. de conscientia n. 45. Spondonium redarguit, quia dixit, quod licet accedens ad Eucharistiam certus sit sibi ad Eucharistiam accedendum esse, non tamen certus est, se in eo non peccare

peccare. Reperitur enim quadam eiusmodi certitudo agendi, quamvis male agendi formido supersit. At quomodo quæso, ait Ferrillus, excusatur à peccato, qui operando formidat, ne in ipso suo Opere Deum offendat? Absit à me qui benigne sententia subscribo, ut tam periculosam, tamque laxam resolutionem unquam admittam. Certo qui sic accedit, contra conscientiam peccat, quia bona fide non accedit; quod autem non est ex fide, peccatum est: ecce Hendricus laxior est, quam quos de Laxitate reprehendit.

Eidem etiam argumento, et exemplo insistens P. Moya in Append. ad tract. de opinionione probabili quest. 3. §. 5. putat evidentè convinci adversus Celladeum, posse quem per reflexas omnino certum evadere de suo non peccato in actu suscipiendi Eucharistiam, quin certus pariter sit de legitimâ suâ dispositione ad eam suscipiendam; quia nemo plusquam probabile iudicium habere potest de suo statu gratia. Undè hunc Syllogismum format, qui prudenter indicat se iustificatum, potest absque lethali Eucharistiam suscipere: sed ego me iustificatum prudenter credo: ergo absque lethali possum Eucharistiam suscipere. Maior, inquit, me iudice, de fide est; Minor, cognitio experimentalis evidens. Ergo evidentè scio me non peccare in actu susceptionis, licet certitudinem de dispositione, seu de susceptione in statu gratia non habeam. Post hæc autem addit equivocationem Celladei consistere in eo, quod conclusionem de non peccato, quæ certissima est, deduxit ex hæc præmissâ, ego accedo ad Eucharistiam in statu gratia, de quâ non est certitudo, sed sola probabilitas; secus verò est de licito accessu ad Eucharistiam, quia non ex aliâ præmissâ deducitur, sed ex alijs certis, unâ de fide, et alterâ evidenti: ut ostendi Syllogismo supra constructo qui potest etiam aliter hoc modo formari: certum est non peccare in actu Communionis, qui accedit cum eâ suasionem dispositionis, seu dignitatis, quam Deus ab homine exigit ad.

communione; sed Deus solum probabilem suasionem exigit.
(alias ad impossibile obligaret, precepto annuae communionis)
ergo certum est non peccare in actu communionis, quicumque
probabili suasionem de dispositione, seu dignitate ad communionem
accedit. Sed sic ego accedo: ergo certum est me non peccare. Dis-
curtus rem evincit, et metaphisicè certum reddit hunc
de licito accessu.

Sed ut ab hoc ipso exemplo incipiam, et clare ap-
pareat quam sint vana, et fallacia, imò et temeraria, et ani-
marum salutis pernicioza, et ab Scripturae divinae et Concilij
Tridentini doctrinâ, ac Sanctorum praxi omninò aliena dic-
tamina ista evidentia conscientiae, quam Moderni Probabi-
listae comminiscuntur. Ac proinde quam merito ab Aposto-
licâ Sede prohiberi, ac damnari debeat supradicta propositio,
quae ultra opinionem probabilem re ipsâ veram, et Legi Dei con-
formem et ab Operante absque omni dubitatione iudicatam
absolutè veram, necessariò requirit ultimum dictamen cons-
cientiae reflexum metaphisicè certum, et evidens de honestate
formali Operationis.

Compertissimum in primis esse videtur, ne-
minem posse magis certum esse de suo non peccato, sive de
licito suo accessu ad Sacram Communionem, quam certus
sit de suo statu gratiae. Quare cum nemo possit absque spe-
ciali Dei revelatione certus omninò esse de suo statu gra-
tiae; consequenter non potest evidentè scire, et metaphisicè
certus esse quòd non peccet, sed rectè ac licitè et sanctè ac-
cedat ad Sacram Communionem; quamvis de hoc ipso non
debeat habere metaphisicam certitudinem, sed sufficiat
habere eandem ipsam persuasionem probabilem, et morali-
ter certam, qualem potest. paritèr homo iustus habere de
suâ gratiâ. Itaque ille qui nullo modo certus est de suâ dis-
positione debitâ, et dignâ susceptione Sacramenti, consequen-
tè nequit esse omninò certus de suo non peccato in actu
susceptionis; nam tota ratio peccati, vel non peccati sumi-

sumitur ex dignâ, vel non dignâ susceptione, sive dispositione ad illam; et hac est tota ratio Legis; nec enim est una Lex de dignâ dispositione, et alia de non peccato. Ergo sic est certum non peccatum, sicut est certa digna dispositio: nec maior aut minor esse potest certitudo unius quam alterius.

Quâ in re ad Spiritum timentium Deum, ac diligentissimè illi serviendum appello. Nam certè Sanctissimi quique, sicut non erant totali certitudine certi de suâ gratiâ, ita neque omninò certi erant de rectitudine singulorum suorum actuum, vel affectuum, sed formidabant, utrum partes suas expleverint, Deumque amarent, et ei servirent quantum debebant. Et summum ergo ab hominibus iustis haberi potest persuasio prudens, quod rectè, ac licitè accedant ad Sacram Communionem, non verò illa metaphisica, et evidens certitudo, quam Terullus et Moya requirunt. Neque in ipsâ etiam horâ mortis plus certitudinis requirere debet anima humilis et devota: et quando Viaticum Corporis Domini suscipitura est, velle non debet, quod nimia presumptionis esset, evidentiam, et totalem certitudinem de eo quod dignè manducet. Beati Recentiores, qui infallibilitèr, et evidenter, et sine ullâ formidine semper norunt, se non indignè manducare, sed actu honesto, et meritorio sumere Corpus Christi. Quam scire vellem (inquit Celladeus) quis Sanctorum Dei ita de se existimaverit, aut presumpserit!

Mihi

certè Oratio ipsa quam proximè antè susceptionem Corporis Christi legimus in Canone Missæ: perceptio Corporis tui Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere presumo, non mihi proveniat in iudicium, et condemnationem, sed pro tuâ pietate prosit mihi &c. manifestè significare videtur formidinem saltè aliquam de peccato in actu susceptionis, neque nos infallibilitèr certos esse, non nobis iudicium manducare. Concilium verò Triden-

tinum

Tridentinum Sess. 6.^a cap. 9. expresse nos docet, quod: sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, et efficaciam dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratiam formidare, et timere potest. Quilibet ergo dum ad Sacram Communionem accedit, de sua infirmitate, et indispositione formidare potest, ac debet; ac proinde vana, et temeraria presumptio erit, si quis certo, et infallibiliter, ac sine ulla formidine sibi persuadeat, se recte, et cum eadem dispositione, quam Sacramenti dignitas exigit, illud accipere.

Itaque ad Syllogismum illum quem P.^r Moya dicit esse demonstrativum, maior propositio distinguenda est: qui prudenter, id est, iudicio vero, et a virtute prudentia dictato, iudicat se esse iustificatum potest absque Lethali Eucharistiam suscipere: concedo: qui prudenter, prudentiam solum existimatam, et non vero, sed falso iudicio, iudicat se esse iustificatum, potest absque Lethali Eucharistiam suscipere: nego. Et similiter minor subsumpta: Sed ego me iustificatum prudenter iudico: distinguendum debet; si hoc tuum iudicium verum est, et obiecto suo, ac iudicio Dei conforme: concedo; si res non ita se habet, sed falleris, ac decipis te ipsum, existimando te iustificatum esse cum re vera non sis: nego.

Dicit P.^r Moya, minorem hanc sui Syllogismi esse cognitionem experimentalem, et evidentem. Sed fallitur; nam potest quidem experimentaliter quis ignorare quod se ipsum iudicet, ac reputet iustum, sed tamen experimentaliter scire non potest se id verè ac prudenter, et non falso, et imprudenter indicare; sic enim decipiuntur innumeri existimando se esse iustos: ut patet ex illo Phariseo Evangelij, gratias Deo agebat, et ex doctrinam superius in 4.^a propos.^e à nobis adducta de peccatis ignorantia, et erroris; atque ita Sacerdotij qui per solam fidem, quam propter merita Christi se iustificari

iustificari credunt, et per spuriam hanc fidem suam, et errorem
iam se iustificatos arbitrantur, non solum absolute decipiun-
tur, et errant, sed culpabiliter etiam et imprudenter errant,
ita ut eorum falsa persuasio, neque vere probabilis, neque
prudens ab ullo Catholico dici possit.

O utinam omnes, quando man-
ducamus Corpus Domini, per eas saltem coniecturas, quas Divus
Thomas requirit, ad imperfectam cognitionem de statu gratia,
sciremus non nobis iudicium manducare. Quærit S. Doctor
1^a 2^a quest. 112. art. 5. Utrum homo possit scire se habere gra-
tiam? Et propositis quatuor rationibus dubitandi pro par-
te affirmativa. Contra est, inquit, quod dicitur Ecclesiast. 9.
nemo scit, utrum sit dignus amore, vel odio. Sed gratia gra-
tum faciens, facit hominem dignum amore Dei: ergo nullus
potest scire utrum habeat gratiam gratum facientem. Dein-
de quæstionem resolvit, dicendo, quod tripliciter res aliqua ag-
nosci potest. Uno modo, inquit, per revelationem, et hoc mo-
do potest aliquis scire se habere gratiam; revelat enim Deus
hoc aliquando aliquibus ex speciali privilegio &c^a. Alio modo
homo cognoscit aliquid per se ipsum, et hoc certitudinaliter.
Et sic nullus potest scire se habere gratiam &c^a. Tertio modo
cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa; et
hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quan-
tum scilicet (nota bene) percipit se delectari in Deo, et contem-
nere res mundanas, et in quantum homo non est conscius
sibi alicuius peccati mortalis. . . . Ita talis cognitio
imperfecta est. Unde Apostolus dicit 1^a ad Corinth. 4. ni-
hil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.
Quia ut dicitur in psalm. 18. delicta quis intelligit?

Sane doc-
trina ista Divi Thomæ terrere unumquemque potest, et
cogere, ut serio cogitet de suo statu. Ecce enim quot et quan-
ta postulat, ut quis, vel coniecturalem, vel probabilem, et pru-
dentem cognitionem habeat status sui in gratiâ: et tamen

si in hoc statu non simus, superveniente morte, proculdubio
damnabimur; neque vlla probabilitas, aut falsa persuasio, quã
iustos nos arbitremur, proderit ad salutem. Signa vero illa tria;
nempe quod quis præcipiat, se delectari in Deo, et contemnere res mun-
danas, et conscius sibi non sit peccati mortalis. non quasi divisi-
vè, et seorsim, sed collectivè, et coniunctim requirit S^{tu}s Doctor. Er-
go signum illud solum, quod quis sibi conscius non sit peccati mor-
talis, non sufficit ad illam etiam coniecturalem, et imperfec-
tam gratiã cognitionem, quã necessaria est, ut licitè, ac sine
peccato possit ad Sacram Communionem accedere.

Quare non bene
asserit S^r Moya vbi supra, quod penitenti per Sacramentum pe-
nitentiã sic disposito, ut peccati conscientiam non habeat, rectè
consulimus Communionem, et negare consilium hoc fore licitum,
nefas esset. Nam eiusmodi consilium universim, et respectu
omnium non semper rectum, et tutum, sed indiscretum, et
noxium sæpè foret. Tum quia hoc solum signum sine cæte-
ris illis, quã Divus Thomas requirit, non est signum sufficiens,
etiam ad coniecturalem cognitionem de proprio statu gratiã;
tum quia ideo multi non sunt sibi conscij peccati mortalis,
quia non satis diligenter discutunt conscientiam suam.
Inde est etiam doctrina expressa Divi Thomã 3^a parte. quest.
80. art. 4. ad 5^{um} dupliciter contingere posse, quod aliquis non
habeat conscientiam sui peccati. S^{uo} modo per culpam suam,
vel quia per ignorantiam Iuris, quã non excusat, reputat
non esse peccatum, quod est peccatum, vel quia negligens est
in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit 1^a
ad Corinth. 11. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane
illo edat, et de Calice bibat: et sic nihilominus peccat pec-
cator sumens Corpus Christi; licet non habeat consci-
entiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.
Hæc ibi Sanctus Doctor. Fieri ergo potest, ut post dili-
gentem conscientia discussionem inculpabiliter quis
obliviscatur alicuius peccati mortalis, sed tamen
multi

57

multi culpabiliter, et vincibiliter errant in hoc ipso quod putant, se diligens ac sufficiens examen conscientie adhibuisse, quia parum curant de rebus animæ, et quamlibet exiguam diligentiam, ac superficialem, et brevem conscientie discussionem satis sibi esse putant, cum tamen in rebus omnibus temporalibus alicuius momenti longè maiorem diligentiam adhibeant. Undè insignis ille doctrinæ, ac pietate vir Ludovicus Granatensis in tract. de penitentia, et Confessione in Prologo ait, inter omnia mala populi Christiani nullum esse magis deplorandum; quam quod hoc modo sine vllâ ferè præparatione, et examine ad Sacramentum penitentia plures accedant. Et in 2. part. eiusdem Tractatus cap. 1. convenientissimum fore, ut hoc passim ab omnibus per vicis, et plebes predicaretur, scilicet plures esse Confessiones ex defectu debiti examinis defectuosas, et invalidas, imò et sacrilegas, quia defectus integritatis ex negligentia proveniens non excusat, sed accusat.

Undè ex hoc ipso exemplo, quo Terillus, et Moya probant dictamina illa sua evidentia de immunitate à peccato et honestate actionis necessario requiri in singulis actibus ad non peccandum, potius concluditur oppositum; quia cum ad Confessionem examinare se quisquis debeat, ac diligentè discutere conscientiam suam: probare item se ipsum antè Communionem, ut sic de pane illo edat, et de Calice bibat, et ne sibi iudicium manducet: nemo tamen etiam ex ijs qui diligentissimè Deo inserviunt, certo et evidentè, ac sine vllâ formidine statuere potest se ritè, ac rectè, et cum debita dispositione ad Sacramentum accedere; sed quilibet dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de hoc formidare potest ac debet. Et quare ab Adversarijs, an ad licitè et rectè suscipiendam Eucharistiam sine vllâ formidine peccati sufficere velint, quod quis probabile existimet, se esse in statu gratiæ, etiam si probabilius putet se non in statu gratiæ, sed in statu peccati

re vera esse? Nam si hoc dicant, scandalo erunt, et pias omnes aures offendent. Si verò non audeant hoc dicere. Quomodo ergo ex hoc ipso Sacrae Communionis exemplo probare audent universalem suam doctrinam de licito usu Opinioni directè minus probabilis, et minus tuta, et simul metaphisicam, et infallibilem certitudinem de bonitate et rectitudine formali Operationis exigere in singulis actibus ad non peccandum?

Itaque ad objectionem illam Terilli contra Hen. Drokiùm, quomodo excusatur à peccato, qui operando formidat, ne in ipso suo Opere v. g. accedendo ad Communionem, Deum offendat? Nam qui sic accedit, contra conscientiam peccat, quia bona fide non accedit: quod autem non est ex fide, peccatum est. Prompta responsio est, malè omninò confundi formidinem cum dubitatione: cum tamen diversa omninò sint, et necessario ab omnibus distinguenda, ut patet ex diversa utriusque definitione. Nam dubitatio actualis definitur, motus indifferens in utramque partem contradictionis, neutri determinatè assentiendo, sed inter utramque fluctuando. Formido autem quæ propria est opinionis, prout à scientiâ, et fide divinâ distinguitur non excludit, sed potius supponit determinatum assensum unius partis, tanquam vera; et solum excludit omnimodam, et infallibilem certitudinem actus, non ita ut intellectus dicat forte fallor: nam hæc particula forte, vel forsitan dubitantis potius quam opinantis dispositionem exprimit: sed ita ut solum dicat possibile esse, et non repugnare, ut res aliter se habeat. Unde qui in dubio propriè tali de suo statu gratiæ ad Sacram Communionem accedere, proculdubio peccaret, qui verò post diligentem sui probationem, accedit, absolutè persuasus, et opinans se esse in statu gratiæ, etiam si de hoc ipso formidet, non tamen dicitur dubitare. Quare propositio illa: qui operatur cum formidine, ne in suo Opere Deum offendat, non operatur bona fide, vel absolutè neganda est, vel claritatis gratiâ distinguen-

Distinguenda in hunc modum: non operatur bonâ fide, id est fide divinâ, et omninò infallibili de suo non peccato, concedo: non operatur bonâ fide humanâ, qualis ab homine haberi potest, et solum à Deo exigitur: negs.

Mud autem Apostoli, quod non est ex fide, peccatum est, non sic debet intelligi, ut qui non credit fide divinâ se in suo Opere Deum offendere, eo ipso peccet, et Deum offendant; hæc enim interpretatio Lutheranicorum propria est, et prorsus falsa, et erronea, ut bene advertit Doctissimus P.^r Salmeron in Comment. ad hæc verba Apostoli, ubi sic loquitur. Deinde falsum est, quod Lutherani ex hoc loco conantur evincere, nimirum iustificatum, certum et securum esse debere, quod quidquid agit ex fide gratum sit Deo, nec de hoc esse dubitandum. Sic enim interpretantur, omne quod non est ex fide, peccatum est: id est, omne quod agitur à Christiano, si non agatur ex animi certitudine, quod acceptum sit Deo, peccatum est. Sed certè hæc manifestè falsa est doctrina. Nam aliud est credere, quod id quod agitur ex se, et ex genere, sit licitum, et Deo placens: aliud quod mea actio, quâ quidquam ago, quod ex se licitum est, sit Deo accepta. Potest enim aliquod Opus ex se bonum, et gratum Deo, à me tamèn aliquâ circumstantia vitiari, quæ me ipsum lateat, iuxta illud. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me; et S^tus Job. Verebar (inquit) omnia Opera mea, sciens quod non parceres delinquenti &c. ut nulla sit alia nobis securitas, nisi timor Sanctus, et metus.

Eundem Lutheranicorum errorem damnavit Facultas Parisiensis in Censuris adversus Lutherum immediate post exortam illius hæresim publicè editis: in titulo 7.^o de certitudine charitatis habita. Sibi ponitur hæc secunda propositio Lutheri: caveat omnis Christianus, ne unquam incertus sit, an Deo placeant Opera sua: qui

enim sic dubitat, peccat, et perdit Opera sua cuncta, frustra-
traque laborat. Huic autem propositioni sua mox Censura
subiungitur in hac verba: huiusmodi consilium, loquen-
do de certitudine, ut supra (id est cui non possit subesse fal-
sum) est temerarium perniciosum, et Sacris Eloquijs diffor-
me. Eandemque Lutheri propositionem anathemate
etiam postea damnavit Sacrosancta Synodus Tridentina
Sess. 6. Can. 11. his verbis. Si quis dixerit omni homini ad
remissionem peccatorum asequendam, necessarium esse, ut
credat certo, et absque vllâ hesitatione propria infirmi-
tatis, et indispositionis, peccata esse sibi remissa, anathema
sit.

Itaque infallibilis certitudo, et securitas quæ omnem
formidinem peccandi excludat, tam in Sacramentorum
acceptione, et usu, quam in omnibus alijs Operationibus nos-
tris, impossibilis nobis est, eamque desiderare, ac velle, non
solum temerarium, et presumptuosum, sed perniciosum
quoque foret. Neque verò hic iam loquor de metaphisicâ
illâ certitudine et evidentia, quam Terillus, et Moya in vl-
timo conscientia dictamine necessariam esse dicunt ad rec-
te operandum, eamque dari volunt etiam cum aliquis
spontè facit, quod probabilius ei apparet esse directè ac per
se divinâ Lege prohibitum. Eiusmodi enim certitudo et
securitas phantastica est, et affectata, ac mera propriæ
conscientiæ illusia. Loquimur ergò de illis qui solam ve-
ritatem, id est, solam ipsam Dei Legem, et voluntatem pro
normâ, et regulâ rectè operandi, propositam sibi habent;
nam et ipsi etiam perniciosum, et exitiale esset, infalli-
bilem certitudinem velle de honestate singulorum suo-
rum actuum, quæ omnem prorsus formidinem, et timo-
rem excludat, ne Deum in suis Operibus effendant.

Id quod
manifestè probatur ex Scripturâ divinâ. Inbentur enim
cum timore, et tremore, nostram salutem operari. Ad Phi-
lip.

59

Philipp. Cap. 2. cum metu et tremore vestram salutem operamini. Et psalm. 2. servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore: cum tremore, scilicet, ne Deum offendamus, aut ei displiceamus in eo quod facimus; nam de alio non est cur timeat, qui Deo servit: et sermo est in hoc loco Davidi de timore Filiali, ut rectè Bellarminus advertit. Sed huiusmodi timor omninò aufertur, datâ illâ certitudine infallibili, et totali securitate conscientie, quæ in singulis nostris actibus omnem prorsus formidinem peccandi excludat. Ergo aufertur debitus modus operandi nostram salutem, ac Deo serviendi.

Sex iustas causas enumerat Cornelius à Lapide in Comment. ad prædicta Apostoli verba, cur Sancti sibi timere debeant. 1^a est, inquit, incertitudo gratiæ; nescimus enim, an simus in gratiâ Dei, an peccata præterita nobis condonata sint, an verâ, et seriâ contritione, et penitentiâ ea expiaverimus. Undè rectè monet Sapiens: de propiciato peccato noli esse sine metu. 2^a Quia non videmus fundum cordis nostri, et nescimus, an in eo vitium aliquod secretum lateat, quò displiceamus Deo: an opera nostra bona, occultâ quâdam intentione perversâ non vitientur, et depraventur. 3^a Quia alia sunt iudicia Dei, alia hominum, et iudicia Dei abyssus multa, ut propter occultam hominis superbiam, negligentiam, aliudve peccatum, licet veniale tantum, gratiam suam sensim Deus subtrahat, sinatque hominem sibi; quo fit, ut periculis, et tentationibus expositus ruat in peccata.

Alia

timendi causas expendit ibidem Sapientissimus Author, et tandem rectè monet, quòd hic timor, et tremor, quo iubemur nostram salutem operari, ac Deo servire, non nos anxios, et scrupulosos facit, sed potius confirmat, et certiores reddit de nostrâ salute, quia sicut spes, ita et timor medium est à Deo ordinatum et via recta ad salutem:

atque ut præclare docet Stus Bernardus Serm. 15. in psalm.
qui habitat. timor maxima spei est materia; quia beneplacitum est Domino super timentes eum, et utique vita in voluntate eius, et in beneplacito eius salus æterna. Et proinde nulla sit nobis alia securitas, nisi timor sanctus, et metus.

Egidem certissimum est quod Sancti Dei semper timuerunt, ne in suis Operibus Deo displicerent; semper formidarunt, ne de his quæ et bona essent, et bene à se fieri arbitrabantur, longè aliter Deus iudicaret. De quo inter alios Ecclesia Doctores clarissimum testimonium perhibet Stus Gregorius Magnus Lib. 6. Moral. Cap. 6. dicens: sæpè Opus nostrum causa damnationis est, quod profectus putatur esse virtutis. Sæpè undè placari Iudex creditur, undè ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait: est via quæ videtur hominì recta, et novissima illius ducunt ad mortem. Undè Sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant. Ne cum bona agere appetunt de actionis imagine fallantur, ne pestifera labor putredinis sub boni specie lateat colubis. Sciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati diiudicare bona subtiliter nesciunt, et cum antè oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipsa nonnumquam, et quæ approbant, metuant &c. At nobis non expedit, certitudinem illam omnimodam de rectitudine nostrorum actuum habere, vel affectare, quam nec Sancti Canonizati habuerunt, sed noxium potius, et summè periculosum esset contrariam aliam viam capessere ab eâ quam ipsi ambulaverunt. Tenemur ergo potius eos imitari, et eorum more nos metipros instruere, sollicitosque, et intentos Dei servitio existere adinstar eorum; ed adhuc timere.

Quod argumentum efficacissimè confirmatur. Quia vel isti Sancti, et viri Dei, qui diligentissime Deo inserviunt

inseverunt, et adhuc timent, ne in suis actibus aliquod vitium lateat, quod Deum offendat, maximè in hoc errant, et viam salutis ignorant; vel erramus nos, et ignoramus; nam illi plurimum facientes, nec aliud cogitantes, et agentes, quam ut Deo in omnibus placeant, adhuc timent; nos eorum comparatione nihil agentes, et omnia alia cogitantes, aut nihil timemus, aut timemus minus. At illi non errant, neque ignorant, et stultus esset, ac cæcus, qui se illis in verâ prudentiâ, et scientiâ, ac viâ salutis, vel præferret, vel æquaret. Ergo erramus maximè nos, et ignoramus; seu potius dormimus, et occidamur, si omnimodam in hac parte securitatem nobis pollicemur. Sepissimè autem in Evangelio iubemur vigilare, et beatus ille servus, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem. Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus veniturus sit.

Denique irrefragabile argumentum desumitur ex ipso fidei dogmate superius adducto, quod scilicet nemo citrà Dei revelationem certò scire possit, se esse in statu gratiæ. Non debet autem, neque potest maior certitudo esse de rectitudine nostrorum actuum, quam sit de nostro ipso statu gratiæ; quia non minus tenemur iusti, et recti esse, quam teneamur rectè operari; nam rectè operari est propter iustum et rectum esse: et si non tenemur recti esse, nec teneremur rectè operari: Ergo non minus constare nobis debet iustitia et rectitudo quasi propria nostra, quam rectitudo Operationis nostre. Si ergo nihilominus ut iusti, et recti simus, constare nobis non debet omnimodâ certitudine, et evidentiâ infallibili, ipsa rectitudo nostra, seu gratia sanctificans, que iustos nos facit, ac Deo gratus: à fortiori, neque ad rectè operandum requiritur ultimum dictamen conscientiæ certum prorsus et evidens, quo sciamus actum nostrum esse rectum, et honestum, ac Deo placitum.


Atque hoc exemplo manifestissimè

constat distinguendum omnino esse dubium à formidine.
Nam in dubio propriè dicto, an simus in statu gratiæ, vel
in statu peccati, proculdubio peccatum est ad Sacram Com-
munionem accedere; imò nec licet in tali dubio, in quo non
maior sit probabilitas propriæ iustitiæ, quam peccati, velle
manere, ac vivere; tenemur enim salutem nostram in tu-
tiori statu et loco ponere, et semper satagere, ut eam magis,
et magis certam reddamus. Sed tamèn de nostrâ iustitiâ,
et statu gratiæ semper formidare debemus, ut à Tridentino
Concilio definitum est. Quare sicut incertitudo gratiæ, quam
Orthodoxi omnes contra hereticos statuunt, non importat
dubitationem, sed solum dicit defectum certitudinis, et evi-
dentiæ infallibilis, quâ sine ullâ formidine constet alicui
se esse iustum: et certum est hunc defectum certitudinis,
et evidentiæ omnino infallibilis non esse imputabilem
ad peccatum, neque vllò modo nocere hominibus iustis,
sed valde utilem esse, quia humiliores eos facit, ac diligen-
tiores in Dei servitiis. Similiter operari in dubio, an ali-
quid sit re verâ peccatum vel non, certum peccatum
est; sed tamèn agere id quod post sinceram, ac diligentem
veritatis inquisitionem et studium conformandi actus
nostros cum Legge ac voluntate divinâ placitum Deo esse
absque dubitatione censemus, rectum est, et ab omni
peccato immune, quamvis de hoc ipso non habeamus
infallibilem certitudinem, et evidentiâ, quæ omnem
formidinem tollat, sed debeamus semper timere, ne ali-
quid in nostris actibus lateat, quod graviter Deum of-
fendat. Non ergò est cur maiorem aliam securitatem,
et satisfactionem, quam moralem, et humanam de
non peccato in nobis et actibus nostris frustra quaera-
mus: quod est vere virtuti, et humilitati Christianæ,
et æternæ nostræ salutis contrarium esset: sed pro-
ut Scripturæ divinæ, et Sanctorum exempla nos do-
cent, fiduciâ in Deum erecti, et cognitione infirmi-

1
61
infirmi-
tatis propria humiliati inter spem et metum
gradiamur.

Itaque ex omnibus hucusque dictis videtur certè
concludi, damnabilem esse, ac damnari debere ab Apostolicâ
Sede, tanquam temerariam et erroneam, et Scripturis di-
vinis, et Sanctorum omnium praxi, ac doctrinâ difformem,
supradictam propositionem decimam quintam, quæ ad rec-
te operandum requirit dictamen conscientiæ metaphisi-
cè certum, et evidens de honestate formali operationis.

1
The first part of the book is devoted to a general
description of the country and its inhabitants.
The second part contains a detailed account of
the various tribes and their customs.
The third part is a collection of
specimens of the different languages
spoken in the country.
The fourth part is a list of the
principal towns and cities.
The fifth part is a list of the
principal rivers and lakes.
The sixth part is a list of the
principal mountains and hills.
The seventh part is a list of the
principal islands and rocks.
The eighth part is a list of the
principal minerals and fossils.
The ninth part is a list of the
principal plants and animals.
The tenth part is a list of the
principal diseases and disorders.
The eleventh part is a list of the
principal occupations and trades.
The twelfth part is a list of the
principal laws and customs.
The thirteenth part is a list of the
principal events and occurrences.
The fourteenth part is a list of the
principal names and titles.
The fifteenth part is a list of the
principal dates and times.
The sixteenth part is a list of the
principal places and locations.
The seventeenth part is a list of the
principal persons and characters.
The eighteenth part is a list of the
principal events and occurrences.
The nineteenth part is a list of the
principal names and titles.
The twentieth part is a list of the
principal dates and times.
The twenty-first part is a list of the
principal places and locations.
The twenty-second part is a list of the
principal persons and characters.
The twenty-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The twenty-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The twenty-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The twenty-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The twenty-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The twenty-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The twenty-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The thirtieth part is a list of the
principal dates and times.
The thirty-first part is a list of the
principal places and locations.
The thirty-second part is a list of the
principal persons and characters.
The thirty-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The thirty-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The thirty-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The thirty-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The thirty-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The thirty-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The thirty-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The fortieth part is a list of the
principal dates and times.
The forty-first part is a list of the
principal places and locations.
The forty-second part is a list of the
principal persons and characters.
The forty-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The forty-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The forty-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The forty-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The forty-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The forty-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The forty-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The fiftieth part is a list of the
principal dates and times.
The fifty-first part is a list of the
principal places and locations.
The fifty-second part is a list of the
principal persons and characters.
The fifty-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The fifty-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The fifty-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The fifty-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The fifty-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The fifty-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The fifty-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The sixtieth part is a list of the
principal dates and times.
The sixty-first part is a list of the
principal places and locations.
The sixty-second part is a list of the
principal persons and characters.
The sixty-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The sixty-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The sixty-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The sixty-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The sixty-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The sixty-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The sixty-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The seventieth part is a list of the
principal dates and times.
The seventy-first part is a list of the
principal places and locations.
The seventy-second part is a list of the
principal persons and characters.
The seventy-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The seventy-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The seventy-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The seventy-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The seventy-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The seventy-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The seventy-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The eightieth part is a list of the
principal dates and times.
The eighty-first part is a list of the
principal places and locations.
The eighty-second part is a list of the
principal persons and characters.
The eighty-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The eighty-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The eighty-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The eighty-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The eighty-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The eighty-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The eighty-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The ninetieth part is a list of the
principal dates and times.
The ninety-first part is a list of the
principal places and locations.
The ninety-second part is a list of the
principal persons and characters.
The ninety-third part is a list of the
principal events and occurrences.
The ninety-fourth part is a list of the
principal names and titles.
The ninety-fifth part is a list of the
principal dates and times.
The ninety-sixth part is a list of the
principal places and locations.
The ninety-seventh part is a list of the
principal persons and characters.
The ninety-eighth part is a list of the
principal events and occurrences.
The ninety-ninth part is a list of the
principal names and titles.
The hundredth part is a list of the
principal dates and times.



BIBLIOTECA

DE LA UNIVERSIDAD DE VALLADOLID.

Estante n.º _____

Tabla

Número

73

[Blank white label]

Bibliothèque
3

173

MS

Biblioteca de Santa

311